MEMORIÆ

JURISCONSULTORUM

NOSTRI SECULI

CLARISSIMORUM

RENOVATÆ

DECAS SECUNDA,

CURANTE

M. HENNINGO VVITTEN.

FRANCOFURTI,

Apud MARTINUM HALLERVORD,

Typis JOANNIS ANDREÆ.

Anno M. DC. LXXVI.

SABELLICVS LIB. X. C. XIV.

QVÆ DEFUNCTIS DANTUR, MERA PIETAS EST, MERUS AMOR ET ANTEACTÆ VITÆ TESTIMONIUM, IN QVO NON SPECTATUR, QVID VELIT IS, CUI HONOS EXHIBETUR, SED QVID MERITUS SIT, NON QVID ALII DANDUM PUTENT, SED QVID QVISQVE DATUM VELIT: NIHIL ENIM EFFICATIUS EST AUT APTIUS AD COLENDAM DEFUNCTORUM MEMORIAM, QVAM HUMANI ANIMI AFFECTUS, QVI LIBER EST, NEC AB ULLO COGI POTEST.

VIRO

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO,
PERQUAM STRENUO,
AMPLISSIMOQUE,

DN. MELCHIORI FUCHSIO,

CELEBRIS RIGENSIUM REIP.
PRINCIPI ET PRO-CONSULI
PRIMARIO,

S. CONSISTORII PRÆSIDI VENERABILI, SCHOLARCHÆ AC PORTORII
REGII PRÆFECTO SMMMO.

DE PATRIA TRIGINTA AMPLIUS ANNOS
BENE MERENTISSIMO,

NOSTRORUM TEMPORUM CATONI,
ALTERIQUE NESTORI,
EVERGETÆ SUO

SUBMISSO ANIMI CULTU ÆTATEM
PROSEQUENDO;

QUEM

ARDENTISSIMA IN DEUM PIETAS,
FELICISSIMA CONSILIORUM PRUDENTIA,
CONSTANTISSIMA JUSTITIÆ CURA,

INTER PIOS, PRUDENTES,
JUSTOS
QVORUMVIS SECULORUM
PROCERES
UUDUM REDDIDIT CONSPICUUM:
HANC
GRATÆ MENTIS TABULAM,
NE MAXIMORUM SIBI IN NAVALI OLIM
ITINERE, ET NUNC QVOQVE EXHI-
BITORUM
BENEFACTORUM
IMMEMOR ESSE VIDEATUR,
L. M. Q. EXHIBET,
SIMULQVE SUMMUM SUPPLEX VENERA-
TUR
NUMEN,
UT, DIFFICILLIMIS HISCE TEMPO-
RIBUS,
CONSCRIPTUM HUNC PATREM,
PRUDENTIÆ ÆQVE AC SENECTÆ
FLORIBUS,
CEU CORONA QVADAM,
FULGENTISIMUM,
COELESTIBUS SERO TANDEM
ADSCRIBAT,
NOSTRIS VERO COMMODIS
DIUTISSIME CONSERVET SUPER-
STITEM!
ITA SPERAT, ITA VOVET
INFINITIS EJUS MERITIS SEMPER
OBSTRICTUS
M. H. WITTE.

SERIES

SERIES JCTORUM
SECUNDÆ DECADIS.

Obiit anno

1627. Martinus Chemnitius D. & Cancellarius Holſat.

1627. Everhardus Bronchortius D. & Prof. Lugd. Bat.

1629. Bartholomæus Reusnerus D. & Prof. Witteb.

1633. Andreas Dinnerus D. & Prof. Altorph.

1634. Hermannus Vultejus D. Cancellar. & Prof. Marpurg.

1634. Georgius Schulzius D. & Cancell. Comitum Barbienſ.

1636. Caſpar Bitſchius D. & Prof. Argentor.

1637. Georgius David Locamerus D. & Prof. Argent.

1638. Petrus Cunæus D. & Prof. Lugd. Bat.

1639. Johannes Strauchius Doct. & Profeſſ. Witteberg.

)o(

MEMO-

MEMORIA
Viri Magnifici, Amplissimi, Consultissimi,
DN. MARTINI CHEMNITII,
J. U. D. Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, DN. FRIDERICI, Ducis Slesvvici, Holsatiæ &c. Cancellarii quondam & Consiliarii meritissimi,

Die 26. Augusti, Anno recuperatæ salutis 1627. ætatis verò suæ 65.

Piè atque placidè defuncti,

Renovata & translata

Ex Germanica Concione funebri habitâ, à CHRISTIANO SLEIDANO, SS. Theol. Doct. & Past. Slesv. Prim.

EST quoddam veteris Marchiæ oppidum, *Pritzvvaldia* dictum, jam ultra 700. annos celebre, ejus inter conditores *Chemnitiani* quoque referuntur. Hinc eorum propago, in hodiernum usque diem singulari ibidem venationis aliarumque immunitatum privilegio fruitur. Et quod magis est, *Chemnitiana*, quantum majores etiam nostri recolere possunt, ejusdem loci familia successu fermè hereditario Magistratum subivit. Floruit enim jam circa annum Christi 1287. *Iohannes Chemnitius*, Nostri Tritavi Abavus, à quo postea 16. Consules atque Senatores, per integros 339. annos descenderunt. Habuerunt sanè Viros togatâ æquè ac bellicâ Virtute eximios, quorum fama atq; merita nunquam interibunt. Ex JCtorum ordine producere lubet insignes illos juris Doctores, *Matthiam Chemnitium*, Serenissimi ac Potentissimi Electoris Brandeburgici Vice-Cancellarium, & Consistorii Ecclesiastici Præsidem, & *Ioachimum Chemnitium*, Ejusdem Serenitati è Consiliis intimis. Nec Hippocrate suo caruit incluta hæcce prosapia. Sub finem enim superioris ævi per totam Marchiam experientiâ

tiâ singulari ac dexteritate medendi præprimis inclaruit *Nicolaus Chemnitius*. Sed ne arte solùm, sed Marte quoque gloria *Chemnitiana* extenderetur, An. 1552. sub Invictissimo CAROLO V. Imperat. Romanorum augustissimo, præfecturâ militari eminuit *Ioachimus Chemnitius*. Circa ejusdem seculi annum septuagesimum fortissimus Heros, *Ioh. Chemnitius*, Livoniã cum exercitu ingressus est. Postea hæc ipsa familia *Henricum*, fortalitii Neo-Rhesæ in Geldria Gubernatorem belliq; præfectum, & *Nicolaum*, in urbe Stralsundo Centurionem, perstrenuos non minùs bellatores, habuit. Hujus Germanus, *Ioh. Chemnitius* literas cum armis laudabili conjunxit vinculo, utpote qui Reip. Dantiscanæ suam addixit fidem, & in augusta aliquando Regis aula Warsaviæ gravissima quædam dexterrimè expedivit negotia. Sed quod primô statim locô dicendum erat, in Facultatum principe, Theologia, senos olim viros infucatâ pietate inque orthodoxiam meritis egregios nostra & superior ætas cognovit. Recensebimus modo τῦ μακαρίτȣ Parentem omni sanè laude & encomio nostro longè majorem, *Martinum Chemnitium*, Doctorem eminentissimum, atq; Ecclesiæ Brunopolitanæ Præsulem celeberrimum. Quot enim ille à Papicolis & Calvini sectæ cultoribus reportavit trophæa? donec in orbe Conciliorum nomen atq; honos, & hujus pariter Viri ob illud, quod Tridenti olim habebatur, & à se examinatum est, intemeratè permanebit. Mirum fortè ac incredibile multis videbitur, quod tamen certò tradidit prælaudatus *Ioh. Chemnitius*, literisque expressit evidenter Warsaviæ d. 20. Maji, anni 1626. exaratis. Se nempe ante decennium, in sua apud exteros peregrinatione, homines reperiisse in Insulis Septentrionalibus feroces quidem atq; denudatos, ut & in Hibernia nonnullos, qui auditô ejus cognomine & *Chemnitianorũ* gente, præ insigni lætitia & gratitudine nesciverunt, quo ipsum honore ac benivolentiâ advenientem exciperent. Tantâ igitur ad barbaros propemodum longeque remotos pertransiit populos magni nostri Theologi, *Martini Chemnitii*, celebritas atque gloria dudum parta. Hic (ut nonnulla ὡς ἐν παρόδῳ attingam) postquam Regiomonti in Borussia Bibliothecæ Principis instructissimæ præfuisset, & eximiam sibi jam eruditionem comparasset, Witteberg. rediit, in convictum à *Philippo Melanchthone* receptus atque animatus, docere ac disputare ibidem cum applausu publicè cepit. Quare Anno 1554. à Senatu Brunsuicensi ritè accersitur, ut Doctori *Ioachimo Morlino* Superintendenti adjun-

adjungeretur, quod ipsum *Coadjutoris* munus appellare solent. Sequenti annô matrimonij nexum subijt, uxoremque duxit *Annam, Hermanni Iügeri*, J.U. Licentiati, filiam; ex qua deinde decem utriusque sexus liberos suscepit. Primogenitum sui nominis virtutumque destinabat æmulum, sed illó in ætatis flore exstinctô, alterum itidem *Martinum* vocabat, isq; est, quem mox describemus. Tertius *Paulus* erat, qui Brunsvigæ Canonicatum obtinuit. Filias vidit septem, *Annam* I. *Magdalenam, Annam* II. *Evam, Margaritam, Iuliam* & *Heduvigam*, quarum tres Mortis quoque violentiæ in tenerâ adhuc ætate cesserunt, reliquæ verò honoratiss. Viris elocatæ sunt. Verùm de eo alibi plura reperiuntur. Nos, relictô jam Patre, ad filium JCtum *Martinum Chemnitium* ulteriùs cognoscendum deproperamus. Exorsus ille felici est sidere, sole tum ipsô ascendere, circa septimam matutinam, d. 15 Octobr. An. 1561. Patriam nactus, ceu innuimus, *Brunopolim*, populosissimam æquè ac vetustissimam Civitatem. Puer in Schola illic percelebri publicâ non solùm rudimenta artium & linguarum celerrimè hausit, sed domi insuper ductorem habuit longè optimum, *Henricum Meibomium*, Poëtam, Historicum, & in illustri demum Julia Professorem insignem. An. 1578. ad studia eò feliciùs continuanda in almam *Lipsiensem* Academiam se contulit, gnaviter literis ibidem incumbens, & eo quidem successu, ut sequenti statim annô *prima Laurea in Philosophia brabeum* suo reportaret merito. Et ne ejus in obscuro lateret amplius virtus atque eruditio, *Historiam de Vesperis Siculis*, carmine heroico descriptam, dedit. Post biennium sub Magnifico tum Academiæ Pro-Cancellario, *Volfgango Hardero*, Theol. Doctore, *Artium liberalium Magister*, illustri ac eruditâ undique stipante catervâ, solenniter creatus est. Tum concinnam quandam numerisque inclusam recitavit orationem *de Navigatione in Indiam Orientalem* suscepta, quam postea Reverendiss. Lubecensium Episcopo, *Eberhardo*, humillimè dicavit. Posthinc amplissimum Juris studium ita præparatô aggressus est pectore, hujusq; fructum percepit exoptatissimum. *Francofurti* enim *ad Oderam* post publica solidæ ipsius eruditionis experimenta, an. 1588. d. 1. Octobris, in utroq; Jure Doctor ritè renunciatur. Honore illô condecoratus, *Rostochium* commigravit, & theoriæ praxin seriò adjecit. Anno demum ejusdem fermè jam elapsi seculi nonagesimo tertio, à Sereniss. Principe, *Bugislao*, Duce

Stetinensi

Stetinensi Pomer. in Consiliariorum numerum adoptatur. Nec multô pòst ornatiss. ambivit Virginem, *Margaretam*, Magnifici Viri, *Henrici Camerarij*, aliquot Principum Cancellarij & Consiliarij, ut & LL. in Acad. ad Varnum Profess. primarij, filiam, eamq; in domum suam deduxit. Nec infeliciter illud cessit matrimonium, quippe continuos 31. annos summâ animorum conjunctione duravit, & fœcundâ prole satis fuit beatum atq; jucundum. Filios *Martinum* J. U. D. *Bugislaum-Philippum*, *Henricum*, *Franciscum* & *Iohann-Fridericum*. Filiamq; unicè dilectam, *Sophiam-Annam* vidit & gavisus est. Quum verò Socer ejus, *Camerarius*, mortem sanctè obierit, successit *Chemnitius* gener, & *Professionem juris* in Rosetо obtinuit omnium bonorum votis & congratulationibus. Mox *Magnificus Acad. Rector* salutatur, eamq; postea purpuram à suis in Celsiss. *Vlrici*, Pomeraniæ Ducis, tum studiorum causâ, Rostochij commorantis, humeros detulit. Ex Academia in Aulam an. 1603. accersitur, & Illustrissimo Principi *intimus* datur *Consiliarius* simulq; *Cancellarius*. Sed cum Dux ille Stetinensium laudatiss. *Bugislaus*, cui *Chemnitius* Noster tredecim annorum cursu suam addixerat operã & servitium, 7. Martij die, an. 1606. mortalium conditionem supergressus esset, à Sereniss. ejus Successore, *Philippo*, in singularem gratiam munerisq; splendorem suscipiebatur. Dum verò de tota Pomerania non nisi egregiè & insigni multorum emolumento præclarissimè mereri satagit, missus est noster Cancellarius an. 1613 *Ratisbonam*, ad instituta Imperij Comitia, ubi Celsiss. Principis sui nomine, Feudum, ut vocant, à Sacra Cæs. Majestate obtinuit. In quo sanè negotio Viri hujus prudentia maximè conspecta & probata fuit, ut inde reversus cor animusq; Principis jure meritissimo vocaretur. Et quamvis homines fortuna subinde blandior haud rarò insolentes atque superbos reddat, *Chemnitius* tamen, in tanta felicitatis ἀκμῇ constitutus, de infucata humanitate blandaque morum erga quosvis suavitate nihil unquam remisit. Quo ipso religiosi & cordati exhibere Aulici ideam luculenter potuit, suoq; comprobare exemplo, non omninò necessum esse, aulâ exire, ac probitatem linquere, qui Principes sequuntur. Post obitum verò Illustriss. *Philippi*, qui in summo luctu an. 1618. die 3. Febr. suos reliquerat, æquè Illustris Princeps ac Dom. *Fridericus*, Norvvegiæ Heres, Slesvicensium Dux gloriosissimus, *Chemnitium* suum quoq; Cancellarium clementer expetivit. Functionẽ hanc,

ætate

ætate quamvis jam paululum ingraveſcente, DEI tamen fretus auxilio, in ſe lubens ſuſcepit. Adeoque cum tota ſua familia Stetino commigravit Sleſvicum, ibidemq; Domicilium rurſus ſuum exſtruxit. Dicendum nunc utique hîc eſſet, quantâ *Chemnitius* dexteritate ac ſolicitudine res ſui muneris expediverit; quâ ſolertia & autoritate ad Reges Electores atque Principes ſubiverit legationes multò graviſſimas; quali denique fide & conſtantiâ ſemel promiſſa perpetuò ſervare ſtuduerit: Sed quid ſoli in meridie lucernam apponamus, aut vendibili vino hederam? Hæc enim omnia cuivis tam obvia, tam manifeſta ſunt, ut à crimine parum abſit, qui de iisdem frigidè verba faceret, aut ipſam veritatem in dubium vocaret. Teſtes vos ſiſto, qui in eadem Aula ſecretioribus Sereniſſimi Veſtri Conſiliis adfuiſtis. Vos toties prudentiam hujus Senis & promtitudinem, in maximis etiam difficultatibus dextrè judicandi & decidendi intricata, valde admirati eſtis. Experientiâ enim, certiſſimâ rerum omnium magiſtrâ, didicit, quid in ſimili factum ſit, & quomodo negotium hoc vel illud ceciderit. Hinc ſagaci ubivis mente rectaque judicii normâ perpendebat ſingula, quæ in uſum ac ſalutem cùm ſui Principis, tum quoque ſubditorum, vergere ullatenus poſſent. In judiciis autem civilibus, ſi qui nodus vindice dignus fuit, juris ad examen præcipua rerum momenta accuratiſſimè revocabat, &, num quid jure factum, an ſecus, ad unguem callebat. Seriò & citra errorem cauſas quaſcunque examinabat, ſine προσωποληψία ac intrepidè ſuum cuique tribuebat, promiſſa verò forenſibus oblita fumis, irato vitabat cane pejus & aſpide. Nec aures à pauperum querelis, ut multi perverſo ſolent more, faſtidiosè avertebat, ſed benigè humaniterq; omnes, cujuſcunque eſſent ſortis & conditionis, admittebat. Nihilo tamen minus promiſcuè cunctis placere, impoſſibile omninò fuit. Hinc atrocia nonnunquam maledicta, calumnias, & quid non? audire atque ferre innocuus debuit. Simulabat prudenter admodum ſe ea ſcire, quæ aliis inconſideratè & per furorem quaſi elapſa videbantur. Melius enim ratus illibatâ triumphare conſcientiâ, quàm rumuſculos canumque latratus inutiles atque futiles quoscunque mordicùs defendere. In communi inſuper vitâ & converſatione quotidianâ, juſtum illud ſeveritatis cum humanitate temperamentum, plus quàm dici poteſt, obſervabat. Humanitate decenti, manſuetudine, candore, cæte-

roque amicabili Virtutum choro, se mirum in modum commendabat. Sed inprimis pectus ejus solidô pietatis amore flagrabat, Deique cultor erat nullo non tempore sincerus atque devotus. Magni quippe Parentis sui, Theologi omnium rectè judicantium calculô, incomparabilis, vestigia presse legens, Zelum pro divina gloria vindicanda, in omnibus suis actionibus ostendebat. Schismata, hæreses, & quicquid orthodoxiæ nostræ adversum, longissimè à se removebat nec cum Antagonistis colludere unquam volebat. Fidei suæ confessionem, quoties opus, intrepidè & tantâ cum fiduciâ edebat, ut posteris singulare relinqueret non consummatissimi solùm JCti, sed religiosissimi quoque Theologi exemplum. Falsum proinde illud tritum:

- - Exeat aulâ
Qui cupit esse pius.

Aulicum enim hîc, & pietatis amantissimum, indubitatò simul in uno deprehendimus Viro. Et cur, quæso, Principis favor divinam excuteret gratiam, aut, quid ex terrena in cœlestem transire aulam impediret, modò quis vitam inter aulicos inculpatam traduxerit? Silentio autem hîc minimè prætereundum, quod *Chemnitius* noster, singulis diebus Dominicis, piè denati Parentis sui Harmoniam Evangelicam, nec non *Balduini* & *Meisneri* Meditationes Evangelicas, sedulò evolverit, antequam templum ingrederetur. Solebat quoque nucleum cujuslibet textus Evangelii metro aptare, eaque pia suspiria filiolæ, ut memoriæ infigeret, tradere. Sacrum autem Codicem incredibili studio indies evolvebat, nec mundanorum negotiorum moles à frequenti ejus meditatione ipsum abstrahebat. Quid, quod & Commentaria super quosdam consignare libros Biblicos jam aggressus esset? Perquàm igitur crebrò in ore atque animo habuit, quod regius alicubi Psaltes infit: *Testimonia tua, Domine, mei sunt consiliarii.* Nec hoc modò, verùm & omnis generis bonorum scriptorum lectione, quamvis jam emeritus, & ætate totusque laboribus multùm debilitatus esset, mentem avidè recreabat. Habuit sanè Deum sibi benignissimum, cujus ope contigit, ut grandævus ille senex prospera adhuc usus sit valetudine, nec oculorum caligine unquam laboraverit. Unicum tamen afflixit pupugitque cor viri hujus optimi, sine ulla ferè remissione, quòd tot nempe in mundo perversa &

merè carnalia videret opera impunè peragi: supinam plerorumque hominum securitatem, immensam stultorum superbiam, ἀσέβειαν latè grassantem, & turpissimis hinc inde voluptatibus se quàm plurimos immergere è Christi grege, animitùs dolebat. Inde gravissimam satisque promeritam Dei in nos pœnam jam imminere haud vanè metuebat. Tantis igitur malis vexatus, & penè obrutus, in morbum tandem lethalem incidit, ideoque ad εὐθανασίαν se totum disposuit. Adstante Confessionariô suô, ex intimo corde aliquot protulit suspiria, dixitque: *Nunc me converto ad Medicum animarum nostrarum.* Vix ista prolocutus, cùm iterum, canô capite nudatô, complicatis devotè manibus, ita effatus esset:

Peccavi, fatear, veniam peto, CHRISTE, *remitte*
Sanguine purgato crimina nostra tuo.

Reposita ipsi tum fuere classica quædam scripturæ dicta, de gratuita peccatorum remissione. Posthac pretiosô Domini corpore atque sanguine refectus, in Redemptore suo suaviter acquievit. Inter cætera autem, quæ piâ secum mente altiùs ruminabat, istos quoque ex *Ioh. Campano* Jambos recitari jussit:

Sat exulavi: jam veni, Iesu, veni,
Senique fesso subveni.
Antiqua nobis jam patescat patria,
Post multa dura, tristia.
Quid Mors moratur sola, nostrum gaudium,
Quin pandit illud ostium?
Fores patescunt; jam venit Iesus, venit,
Senique fesso subvenit.

Non diu pòst, à prædicto Ecclesiæ Antistite, *Sleidanô*, quæsivit; numne Principis Megapolit. *Ioh. Alberti, de Morte Meditationem,* unquam legisset? Ad quod ille affirmans, eam, in *Danielis Crameri de mysterio Corporis spiritualium Beatorum* tractatu extare, respondebat. Consolationem dehinc pluribus admisit ultimamque emisit vocem fiduciâ plenam: *Iesus meum solatium.* Ita excessit ille, cujus vita, quantum homini contigit, sine culpa, mors sine acerbitate fuit. Malè enim mori minimè potuit, qui bene semper vixit, & vivendo piè mori didicit.

EPI-

EPICEDIUM.

Consiliis usuque valens; in iure peritus,
Vir bonus; ore potens; & pietate gravis.
Theologi illius magni, Patris, optima proles;
Vincens aut æquans Nestora CHEMNITIUS.
Nunc jacet heu dolor! & rubigine roditur atrâ,
Vir, cujus famam rodere nemo potest.
Cujus & æternâ bustum nunc laude coronant,
Quotquot amant Musas, juraque quotquot amant:
Et Reges Vrbesque Ducesque quot inclutus ambit
Balthicus; hoc septem-sub-terione, pater.
Danus & Holsatus, Megdaburgus, Brunopolita,
Et Pomerana domus, Templa, Schola, atque forum:
Quorum ille eximium decus, & communis Apollo,
Donec vita super delitiumque fuit.
Hic moritur, si posse moriri dixeris, ipsam
Virtutem & famam, cœlicolumque jubar.
Non, inquam, moritur, qui mortuus esse putatur,
Æquans aut vincens Nestora CHEMNITIUM.

DANIEL CRAMERUS. D.

SCRIPTA.

Historia Navigationis Indiæ Orientalis heroico carmine descripta: *Lipsiæ* 1580. in 4.

Dissertationes tres de justitia & jure, quibus jus universum compendiosè tractatur, & simul ad forum casusque conscientiæ studiosè conformatur: *Tubingæ* 1621. in 4.

Bericht vom Unterscheid Holstein und Eyderstätt: in 4.

ORATIO
In Exequiis
Viri Clarissimi,
D. EVERHARDI BRONCHORSTII,
Jurisprudentiæ in Acad. Lugduno-Batav. Professoris,
Anno cIↃ IↃ CXXVII. recitata
à
PETRO CUNÆO.

BEnè ac sapienter olim, Auditores, clarorum Virorum laudes in funeris solennitate dicere consuevere veteres. Ex quorum institutis ita mihi quidque optimum videtur, ut antiquissimum, & ad propagandam virtutem maxime comparatum est. Nimirum judicabant cordatissimi mortales sacram esse debere magnarum animarum memoriam, atque hanc ipsam optime nobis repræsentari, cum recenti adhuc luctu acrius in defunctorum amorem ageremur. Hic mos è prima vetustate in Academias traductus, à quo potius, quam à collega, aut quando magis usurpandus colendusque est, quam nunc hoc tempore, cum rogatu Magnifici Rectoris, precibus spectatissimi Senatus Academici ad parentandum homini celeberrimo Everardo Bronchorstio excitamur? Amisit Academia Professorem: at ego amicum, cum quo perdiu sane jucunda mihi consuetudo fuit: à cujus ore pendêre, quem audire senem juvenis gaudebam. Itaque cum ex illius morte ingens luctus ad universos pertingat, plus tamen est, certeque majus quiddam, quod me male afficit. Utique de hoc viro ut multa dicam, atque ut sigillatim omnia exequar, summa eruditio & merita ejus suadent: ut brevior sim, quam fortasse decebat, dolor jubet. Nescio enim quo pacto animus noster sibi succumbit, & quidquid languor ægre effert, involvere silentio amat, Curæ parvæ loquuntur, ingentes stupent. Quæ cum ita sint, non recensebo accurate ea omnia, quæ in vita ejus

ejus fortunisque fuere notabilia. Est enim in rebus hominum admiranda varietas, & nescio quæ sors modo noverca, modo mater, alios dure, alios molliter, nunquam autem omnes eodem modo versat. Quæ si nunc referre omnia velim, magna rerum series dicenti surgeret. Est hoc eorum, qui historiam contexere potius, quam laudare defunctum cupiunt. Mihi satis erit casu potius, quam ordine, quædam de sene nostro dixisse, quæ ad commendationem virtutis, eruditionisque, quæ summa in illo fuit pertinere videbuntur. Vetus opinio est, jam inde à mundi ortu plurium sapientum firmata consensu, esse aliquod momentum in natali solo ad ingeniorum felicitatem. Id ego cum semper verum esse crediderim, propterea quod concors & consentiens mortalium opinio veluti naturæ quædam vox est: tum vero illud ipsum multo magis nunc sentio, postquam optimum senem nostrum Transissulania ortum esse cogito, quæ terra simul cum vicina Geldria, ut cives proferre animosos, generososque solet, ita jam pridem hominum erudissimorum fuit patens. In hujus regionis nobilissima urbe Daventria natus ille anno cIↃ IↃ LIV, patrem habuit Johannem Bronchorst Neomagum, Juris Utriusque Licentiatum, matrem Claram Costeram, Johannis Costeri Consulis Daventriensis filiam. Est hic ille Joannes Neomagus, qui in Academia Rostochiensi Mathesin præclare professus est: qui Philosophiæ, & historiarum singularem scientiam publicis monumentis testatam seculo fecit. Nam & Bedæ Presbyteri Anglosaxonis opus de natura rerum, itemque Georgii Trapezuntii Dialecticam doctissimis scholiis illustravit: & Arithmetices libros duos composuit, qui & Coloniæ & Parisiis excusi sunt. Adhæc Claudii Ptolemæi Geographiam Latine vertit, addito regionum & urbium ab eo memoraratarum indice: & in Aristotelis aliquot libros quædam scripsit, quæ supra plebem interpretum sunt. Non miramur in Bronchorstio nostro ingenium ad doctrinam eximiam efformatum, cum talem tantumque habuerit parentem. Permultum quippe potest indoles rite nutrita sub faustis penetralibus: ac omnino insitam naturæ & pectoris bene nati vim juvat erigitque recta institutio, & in majus meliusque provehit. Inter prima adolescentiæ initia, artium & linguarum cognitione mediocriter imbutus, propter motus bellicos religionis causa cum patre in exilium abiit, sedibusque Coloniæ Agrippinæ po-

sitis, cum literas liberalesque artes plenius didicisset, patre ibidem defuncto, Jurisprudentiæ studiis animum adjecit, successu tam mirabili, ut non multo post docere alios ausus, titulum ff. de diversis regulis Juris Antiqui non sine auditorum magno concursu explicuerit; qui mox eundem commentarium, elegantissimum illum quidem, sed tamen tunc rudem & impolitum, ipso ignorante ediderunt, qua ex causa tandem in senectute eum librum recognovit ipse, auxitque, ac nuper etiam evulgavit. Colonia digressus, in aliis celeberrrimis Germaniæ Academiis, Marpurgi, Erphordiæ, atque Wittebergæ, operam dedit summis antecessoribus Valentino Förstero, Nicolao Vigelio, ac inprimis viro incomparabili Matthæo Wesembecio, quem domi docentem audivit, cum per arthriticos dolores in publicum prodire venerabilis ille senex non posset, ac crebro semet ipse ob morbi illius vim per jocum pro Matthæo Wesembecio Matthæum de Afflictis appellaret. In iisdem Academiis cum privatim Institutiones Justiniani, diversosque ff. titulos interpretatus esset, Basileam profectus, sub maximo Jurisconsulto Samuele Grinæo gradum Docturæ in utroque Jure publice accepit, suffragiis & consensu cum omnium, tum etiam Clarissimi Francisci Hotomanni, qui è Gallia ejectus vivebat tunc illic, ac diplomati ejus subscripsit. Mox Wittebergam regressus Jus Civile per annum docuit, ac deinde in Academia Erphordiensi integrò biennio munere publico Professoris functus est. Hanc tam præclaram, tam excultam indolem diutius peregre inter exteros procul à suis hærere, id verò triste nimis & acerbum Transisulaniæ fuisset. Occurrebat ejus animo identidem assueta oculis regio, & hoc cœlum, sub quo natus educatusque esset. Quæ eum cuncta movebant caritate sua, uti patriam, cui se natum esse, cui omnia se debere intelligebat, tandem reviseret aliquando. Vix Daventriam redierat, cum à civibus suis consul urbis creatur. Enimvero mortales illi optimi, cum nondum à prisca majorum simplicitate discessissent, sciebant honores & magistratus deferri illis oportere, qui minime eos appeterent, & maxime mererentur Intelligebant virtutem excellentium virorum, etsi magnos impetus à natura sumat, tamen doctrinâ consummari, quæ, ut sapientiam dare sola non potest, ita animum ad eam augendam roborandamque parat. Eo munere dum fungitur, uxorem duxit Matronam lectissimam

ſimam honeſtiſſimamque Adelheidam à Middelburgo, Gerardi à Middelburgo conſulis Svvollani filiam, è qua liberi ſuperſtites exiſtunt tres: inter quos filium, Juvenem Ornatiſſimum Candidiſſimumque, Gerardum Bronchorſtium, Juris Utriusque Doctorem, coram hic adeſſe cernitis. Patriam urbem ſumma fide & diligentia conſul tuebatur, nec quidquam omittebat, quod provideri fierive ab homine prudentiſſimo poterat, & tamen derepente tempeſtas inopinata totam urbem perculit. Hoſtem adverſum homini ſtrenuo opprimere haud difficile eſt: occulta pericula vitare in promptu non eſt. Proditione ac perfidiâ præſidiariorum militum Regi Hiſpano urbs traditur, ejectusque iterum in exilium noſter eſt. Cæterum, ut ſolet Deus ex adverſis ſecunda ſæpe gignere, hæc tam triſtis, tam ſubita rerum mutatio gradum huic fecit ad jucundum & honorificum otium. Contigerat tunc forte urbi huic Leydæ id, quod ſæpe aliis civitatibus evenerat, quæ diu quieſcere nequeunt, ſed ſi foris hoſtem non habent, domi inveniunt. Oborta hic erat inter cives diſcordia & factio quædam, cui cum ſeſe incautius miſcuiſſet Jurisconſultorum princeps Hugo Donellus, anno cIↃ IↃ LXXXVII. Academiâ noſtrâ relictâ in Germaniam commigravit. Vocatus ſtatim in ejus locum Bronchorſtius eſt, dignusque videbatur tanto viro ſucceſſor. Ita ille ordinariam juris profeſſionem ex eo tempore ſuſcepit, & in hoc munere procul à Republica, etiam poſt receptam reſtitutamque Daventriam, ætatem egit. Annus hic eſt quadrageſimus, Auditores, ex quo doctiſſima ejus vox hæc Academiæ ſubſellia, atque has ſedes perſonare cœpit. Quæ res quam bene, & feliciter ei ſucceſſerit, nuſquam deeſſe teſtes poſſunt. Vos, quotquot hic adeſtis Jurisconſulti, qui ex ea tempeſtate Jus Civile tractaviſtis, diſcipuli fere ejus fuiſtis. Quorum pars nunc Rempublicam, quidam curiam utramque juridicam regunt, alii Academiæ huic præfuêre, aut præſunt nunc etiam. Ut taceam quam multi ſummi viri jam diem ſuum obierint, quos habuit præclarus noſter ſenex debendi reos. Scripſit quatuor centurias legum, quæ in ſpeciem contrariæ videbantur, & conciliationes earundem. Ad hæc duas alias Miſcellaneas centurias controverſiarum juris, atque etiam methodum Feudorum adjecit: præter commentarium in titulum de Regulis Juris, quem ab auditoribus pridem editum, mox meliorem locuple-

tioremque reddidit. Fama ejus & existimatio per totam Germaniam mirum in modum magna & illustris fuit: ut passim apud omnes modo Jurisprudentiæ, modo legum pater appellaretur. Non aliter hercle, quam si proprium id quoddam & gentile familiæ nomen esset. Id quod fortasse nobis, qui cottidie adspectu & alloquio ejus fruebamur, incredibile pene erit. Sed ita nimirum comparatum est, ut summorum virorum præsentia gloriam eorum minuat, majorque sit virtutum ex longinquo majestas, quæ vitio quodam humani ingenij nullam adeo ob rem magis evilescunt, quam occursu crebro, & rerum optimarum fastidio. Rectoris Academici munere functus est anno CIↃ IↃ CIV. in quo sane fide ut optima, ita propensissimo in Academiam affectu gessit omnia, ac Senatui, collegisque suis nunquam defuit; quorum ornamenta & commoda adjuvit auxitque. Quæ quidem extant adhuc publicis actorum monumentis consignata, ut semper futurum aliquid sit, quod acceptum feratur hujus beneficentiæ. Memoria ei fuit inusitata, &, ut ipse dicere solebat, ferrea; rerum omnium, quas in vasta hac & prope infinita juris pervestigatione semel cepisset, admodum tenax. Diligentia insuper adeo & perpetua & indefessa, ut non contentus intra Jurisprudentiæ spatia consistere, à nullo studiorum genere continuerit flagrantem animum. Quare & politica tractavit, notasque etiam in doctrinæ civilis aphorismos quosdam seculo publicavit: & ne ea ignorare videretur, quæ posita in Græcarum literarum cognitione sunt, proverbia Græcorum, quæ versibus comprehendit Illustrissimus Scaliger in opere pulcherrimo, quod Stromateus ab illo inscribitur, Latine omnia vertit. Quem librum jam Typographis excudendum commiserat. Vir fuit studio in Rempublicam atque in religionem summo: morum comitate, humanitate, facilitate insigni. Inter amicorum primos habui. Viros Clariss. Collegas suos, Cornelium Grotium, Julium Beymam, Everardum Vorstium, Willebrordum Snellium, quibus superstes fuit: deniq; Cornel Svvaneburgium, quem usq; ad extremum vitæ dilexit tenerrime constanterq;. Sermones ejus in consuetudine vitaq; familiari acuti, & ut plurimum literati. Proverbia totidem aut apophthegmata singula videbantur. Quare habebam fere, quo confugerem, ubi conquiescerem, cujus in alloquio & suavitate omnes curas dolo-

doloresq; deponerem. Ubi ludere aut jocari vellet, nihil triste, nihil senile agnovisses. Idem inter res serias gravissimus cordatissimusque. Valetudine ante plures annos infirma sæpè erat. Et intercurrebant morbi, qui diu eum lecto affigebant, in quibus inesse vis quædam melancholiæ videbatur. In quo profecto nihil novi ei contigit. Solet hoc, quodcunque tandem est, maximis acerrimisq; ingenijs accidere. Excelsus ille naturæ verique author Aristoteles omnem in hominibus excellentiam, & quidquid in utramq; partem boni aut mali à communi conditione plebis recedit, in sola atræ bilis varietate collocat. Inde vult existere non eos solum, qui aliis præstantiores sunt in Philosophia, in Republica regunda, & in arte Poëtica: sed Sibyllas quoque, & Bacidas, & eos deniq; omnes, qui instinctu numinis agitentur. Inter hæc cum ætas ejus jam ingravesceret, & requiem, immunitatemque diuturni laboris suo quasi jure exposceret, concessum ei tandem illud est, quod maximis ejus virtutibus, meritisque debebatur, ut à lectionum publicarum munijs vacaret, atque ut nihil nisi nominis sui honorem impertiret Academiæ. Ex qua quidem tempestate, cum mox statim morbus discessisset, otium altum jam nactus (quod mirabile dictu est) minime otiosus tamen fuit. Videbat jam in extremo vitæ pene se situm, nec diu abesse posse fatalem illam & decretoriam horam, quæ in meliorem rerum statum nos transmittit. Quare sacræ doctrinæ studijs totum se dedit, pijsque cogitationibus pectus implevit, & hæsitationes omnes, difficultatesque, quæ in religionis nostræ mysterijs oborerentur, quotidie ferme collegis suis, Viris Reverendis, SS. Theol. Professoribus, quos habet hæc Academia clarissimos, cum publice tum privatim proposuit. Adeo pulcra res ei videbatur consummare vitam ante mortem, ac deinde exspectare securum reliquam temporis sui partem. Cæterum, cum esset litterarum quoq; & antiquitatum æstimator, addebat in extrema ætate reliquis quoque curis & studia literaria, ac libenter interdum, duos Academiæ nostræ præsules D. Danielem Heinsium, equestri dignitate Virum, de Republica Romana, deque civili doctrina facundissime prudentissimeque differentem, & Clarissimum D. Joannem Gerardum Vossium, temporum rationem, ac mundi seculorumque fastos, aut etiam Græcas literas explicantem, audiebat. Et jam novissime hujus lectioni Græcæ intererat, cum inter hæc doctrinæ oblectamenta

morbi ingruentis initia sensit, ac domum cum ea febre rediijt, quæ post paucos dies eum exstinxit. Ibi vero deinceps animus ejus, non, ut in sene, morbo succumbens, sed alacer & erectus, contra languorem exurgens, quemadmodum de valetudine recuperanda non desperavit, ita nec mortem extimuit unquam. Mox cum vis mali acrius grassaretur, & vitæ nulla jam spes superesset, quotquot eum visitabant amici, bene & recte præparatum pectus ejus ad mortem perspexêre. Quippe fiduciam omnem suam in DEO collocavit, & peccata sua solo Christi sanguine redempta profitebatur. Retulit nobis Magnificus Academiæ hujus Rector D. Johannes Polyander verba ejus, quæ arrecta in cœlum mente proferentem audivit, *A Christo liberationem meam exspecto, quem novi mihi lucrum esse in vita & in morte. Ipse est via, veritas, & vita. Paratus sum emigrare ex hoc mundo, ut sim cum ipso, atq; ut ipsum intuear.* Et consimilia pene, atque in eandem sententiam sunt, quæ intelligere interdum ex illo potuerunt Viri Clarissimi & Præstantissimi Dn. Andreas Rivetus, & Antonius Thysius, Theol. Professores, D. Festus Hommius, Collegij Theologici Ordinum Hollandiæ Præses, ac denique D. Ludovicus de Dieu, Ecclesiæ hujus Pastor. Hæ sunt veræ illæ & sinceræ voces, quæ ab imo pectore ejiciebantur, cum persona eripitur, manetque res. In hunc modum grandævus senex noster, qui jam annum septuagesimum & tertium pene impleverat, leni morte exspiravit, animamque cœlo, unde profecta erat, reddidit. Ex hujus viri morte quam grave vulnus Academia acceperit, squallor ille, & dolor publicus significat, quem in vestro omnium ore conspicio, Auditores. Abijt à nobis, excessitque vir langiore vita, atque etiam immortalitate dignissimus, non visurus nos amplius in his terris, non hic videndus nobis. Nunquam posthac licebit dexteram illam humanissimam amplecti; nunquam audire ac reddere notas illas & amicas voces. Sed quid ago? Non lubet mihi deplorare jacturam nostram, cum cogito quantum illi boni contigerit. Facessere patiar privati mei damni sensum, ne, dum proprijs incommodis indolesco, non tam amicum, quam memetipsum, amare videar. Quo quidem animo & vos omnes esse, pro ea, qua senem optimum complexi estis, affectione, magna ratio suadet, Auditores. Et quis vero negare potest optime cum illo actum esse, qui facili cursu in portum per-

pervênit æterna quiete placidum, in quo semotus à rebus nostris sejunctusque longe, neque miserijs exceditur, neque ijs angitur, incommodis cum quibus nos quotidie dum in terris sumus, luctamur? Utique contigit ei illud singulari DEI favore, ut vegetis adhuc viribus in grandi hac ætate esset, ac vix sentiret senectutem suam imbecilliorem factam, quam adolescentia fuisset. Quare & labores patienter tolerabat, & ea faciebat omnia, quibus me quidem tot annis minorem planè scio jam nunc etiam esse imparem. Cæterum cum ætas ejus jam in flexu esset, nec per rerum naturam stare diu in isto robore posset, quid, obsecro, longior ei vita attulisset, nisi confertim & simul omnia mala? Optima quæque & jucundissima dies nobis illucet, dum in citeriore termino consistunt anni nostri. Quemadmodum in amphora gravissimum quodque turbidumque subsidit; sic in extremo ætatis nostræ quod remanet, non modo minimum, sed pessimum quoque est. Quis nostrûm adeo ultra modum deditus vino est, qui extremum amphoræ exsiccet, & fæcem quoque exsorbeat? Beata quædam res est ex hoc corpore evocari, antequam decrepita ætas cœperit vitijs suis concutere mentem, partesque ejus convellere, & homini non vitam relinquere, sed animam. Et quid de senectute dico? Juventam ipsam, & annorum nostrorum vegetum robur si spectemus, non est tam optanda res vita hæc nostra, quam fortasse multis videtur. Quid enim habet boni? Quid non potius molestiæ & calamitatis? Ipse homo, animal istud superbum & cæteris imperaturum, imbecillitatis imago est, ad omnem fortunæ contumeliam projecta; invidiæ & calamitatis trutina: cætera, ut verbo dicam, pituita & bilis. Nunc de pectore ac faucibus, nunc de capite querimur. Quocunque se movet hæc compago ex infirmis fluidisque contexta, nutrimentum mali sui ex se ducit. Nunc dejectio, nunc destillatio vitium facit. Tenuissimus causis & offensionibus, ac denique per illas ipsas res, sine quibus vivere non possumus, in tabem imus. In rebus, quæ geruntur, nullum gaudium est, quod non continuo contaminet ægritudo aliqua. Dolor & voluptas per vices quasdam cedunt sibi & quidem brevior voluptas est. Spectandæ alibi pravæ improborum artes sunt. Regnum alibi avaritia, alibi ambitio

bitio tenet, & infera supera miscet. Inter hæc mala quoniam versari necesse est, quamdiu in his terris gravi quodam necessitatis munere perfungimur, quantum, obsecro, jam lucrum est, cito emori? quam bene cum illis agitur, qui ex hac vita in quandam veram atque incorruptam felicitatem emittuntur? Falsum est & inane quidquid hic lætum nobis in terris imaginamur, etiam tunc, cum in rebus summis & affluentissimis sumus. Cæsar Augustus supremo die amicos admissos percunctatus, *Ecquid iis videretur mimum vitæ commode transegisse*, addebat & clausulam, jussitque *uti statim, cum excessisset, plauderent omnes; & cum lætitia strepitum darent.* Nimirum summus ille princeps, qui ex se uno pendêre omnia videbat, qui imperia gentibus dabat & adimebat, hæc ipsa, quæ tantopere mortales concupiscunt, propter quæ bella suscipiunt, & Rempublicam turbant, quisquilias volantes & venti spolia judicat. Pertæsus ille mundum est, nec amplius agere histrioniam cupiit. Satis diu hoc saxum volverat. Liberari voluit. De cæteris paganis, qui pariter religionis nostræ sacra non novêre, quid dicam? Equidem ego cum eos intueor, plerosque eorum video, qui modo pectus sapientiæ studijs imbuerunt, ita animatos fuisse, uti mortem non jam fortiter ferendam, sed etiam optandam existimaverint. Non libet mihi ejus rei exempla, quæ prope infinita sunt, afferre, ne in immensum nostra evagetur oratio. Illud duntaxat ad nos pertinet, ut cogitemus, si tanta animi promtitudo ad excipiendam mortem in illis fuit, multo jam magis in nobis, qui DEI Dominique nostri JESU CHRISTI disciplinam profitemur, tale & studium & votum esse oportere. Quid enim? Non illi miseram sortis suæ conditionem, quæ ex peccati pœna atque ex justa DEI ira proficiscitur, scivêre. Nec rursus futuri seculi agnoverunt bona, quæ Christianis ex meritis Servatoris nostri exspectanda sunt. Sed nec intelligebant, qua via ad æternam felicitatem, quæ promissa nobis post hanc vitam est, pervenirent. Non capiebat mens eorum tenebris obsita tantam rem, tam salutarem, tam divinam. Et tamen pulcrum putabant mori, uti immunes saltem à vitæ malis essent. Silenus, hominum olim omnium sapientissimus, cum à Mida rege captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem,

Non

Non nasci homini longe optimum esse; proximum autem quam primum mori. Male vero & perquam inepte Silenus sensit. Est quidem verum alterum illud, *optimum cito mori*, certe homini Christiano. Quid enim pulcrius est, quam esse cum CHRISTO? At prius illud, *non nasci*, non est optimum. Quin imo magnum beneficium est, cum natos nos DEUS ad æternam vitam, atque ad beatissima gaudia per pauxillum ærumnæ traducit: cum redemptos nos ex tenebrarum vinculis in regnum filij sui transcribit, ubi omnia rerum omnium arcana nobis retegentur: ubi admirabimur divinam lucem, eamque suo loco videbimus, quæ nunc per nebulam nobis fulget: ubi gaudium ineffabile est, quod nec oculis qu squam ante adspexit, nec auribus percepit, nec animo aut cogitatione complecti potuit. Equidem ego quid de Homero pronuntiandum sit, quem tanti fecit antiquitas, nescio. Certe quidem in tanto autore ridiculum illud est, ac longe etiam à sapientiæ sacris alienum, cum apud eum Achilles in mortuorum sedibus regnum in manes cæteros tenens, *malle se* ait *in terris pauperi colono vilissimâ mercede servire, atque agros colere, quam illic imperium & summam rerum tenere.* Nimirum scripsit hoc ille, qui, ut oculis, ita mente etiam in religionis causa cœcus erat. Melius longe rectiusque sensit divinus noster vates, qui eodem tempore pene vixit: cujus illud extat Oraculum, *Cupere se potius in DEI atriis per unum diem esse, & janitoris munere illic fungi, quam alibi vivere per mille annos.* Tantam ille beatitudinem & gloriam ejus vitæ cogitavit, quæ nos sacratos in omnia secula cum DEO conjungit, & supra rerum hoc universum collocat. Hæc est, Auditores, hæc est illa felicitas, qua optimus senex noster fruitur, qua totum se perfundit: quam excipit magna & æterna pax: quam nullus mœror, nullusque metus contaminat. Et quid dicam amplius? aut quo modo d cam? aut quid omnino non dicam? Jam medius fidius, cum istam sortem ejus cogito, propemodum dolet mihi, quod me antecesserit. Sed non patitur aut candor meus, aut illius amor, ut quidquam illi invideam. Beatum vero te, beatum ter quaterq;, *Bronchorsti:* qui, cum antea multam operam in rerum sacrarum pervestigatione posuisti, nunc cupiditatem tuam exsaturare potes, & ea inspicere, ea discere, quæ nos cuncti ignoramus.

Nunc

Nunc inter cœlestes orbes vero lumine te imples; nunc noctem nostram, & has tenebras, in quibus vivimus, miraris, Nunc procul dubio sedes illic, & ludibria cadaveris tui rides ex alto. Liberatus jam es ab omnibus malis, atque etiam ab eorum judiciis, qui nec præsentem virtutem æstimant, & sublatam ex oculis quærunt frustra. Tu vero vale, vir summe, & æternum salve. Nos, sicut te viventem impense & amavimus & coluimus, ita memoriam tui carissimam jucundissimamque jure meritoque deinceps conservabimus.

In Nomen

Celeberrimi JCti

EVERARDI BRONCHORSTII.

Si Bronchum juris pleno qui gutture potat
Et rivulos & evomit
Appellare licet quenquam, Bronchorstius inde
Daventriensis dicitur.

Ejus Symbolum:

BEATA GENS, CUI JEHOVA DEUS.

SCRIPTA.

Ἐναντιοφανῶν Centuriæ quatuor & conciliationes eorundem *Hanoviæ* 1603. 1607. *in* 8. *Lugd. Bat.* 1598. in 4.

Centuriæ duæ Miscellan controversiarum juris: *Lugd.* 1602. 1610. & junctim centuriæ sex 1621. in 8. *Hardevici* 1652. in 8.

Enarrationes in Titulum Digestorum de diversis regulis juris antiqui: *Francof.* 1608. *Lugd. Bat.* 1624. in 8. *Rostoch.* 1626. *Lipsiæ* 1667. *Amsterod.* 1665. in 12.

De studiosorum Privilegiis: *Lugd. B.* 1621. in 4.

Exempla ad Aphorismos Politicos Lamberti Danæi: *ibid.* 1623. 1639. in 12.

Methodus Feudorum, cui adjunctæ sunt orationes duæ; Una de studio juris instituendo, altera de laudibus jurisprudentiæ: *ibid.* 1613. *Ultrajecti* 1652. in 8.

PRO-

PROGRAMMA
In obitum luctuosum
VIRI
Amplissimi & Consultissimi,

BARTHOLOMÆI
REUSNERI,
JCTI Celeberrimi,

Juridicæ Facultatis in Acad. Wittebergensi Ordinarii ac Senioris, Ejusdemque Professoris emeriti, necnon Curiæ Provincialis ac Consistorii Ecclesiastici ibidem, & supremi Appellationum judicii, Dresdæ Assessoris,
Publicè propositum,
à
RECTORE ACAD. WITTEBERGENSIS,
DANIELE SENNERTO,
Uratislav. D. Facult. Med. Seniore & Prof. Publ. ac Sereniss. Electoris Saxoniæ Medico.

LAudare mortuos publicè, eorumque parentes, patriam, genus, universam vitam denique (in illis, qui virtute ac rebus gestis excelluissent) commendare posteris, non modò Græcorum, gentis sapientissimæ, receptum moribus, sed & Romanæ consuetudinis fuit. Ita enim existimabant, interesse Reip. clarissimarum Virtutum exempla nosci. Ut haberent juniores scilicet, quo excitare indolem; & velut normam quandam ac regulam, ad quam mores suos exigere possent vel emendare. In quo negotio tamen multi se ita tractabant, ut majore suorum studio (nam eas laudes, à propinquis decantari præcipuè, mos erat) quàm veritatis ducerentur; & falsis adeò ac fictis laudibus non tam ornarent defunctos, quàm onerarent. Quo accidebat, ut hæ Laudationes funebres, suspectæ non modò fierent,

fierent, sed palam quoque à magnis auctoribus vitiatæ rerum memoriæ accusarentur. Quòd nobis eò diligentius nunc quidem cavendum est, dum Viri Amplissimi ac Eminentissimi, Domini BARTHOLOMÆI REUSNERI J. U. D. & Professoris Emeriti, ejusdemque JCtorum ordinis Senioris & Ordinarii Clarissimi &c. indicturi funus, non nihil de vita ejus, pro consuetudine hujus Academiæ antiquissimâ, dicendum habemus; quo ipse studiosior Veritatis, & ab omni vanitate atque inani gloriâ alienior semper fuit. Nam sua se involvens virtute, quam ipsam sibi mercedem omnium pulcherrimam in conscientiâ rectè factorum norat præstare, externas laudes, & in quibus multi hodie, etiam qui sapientes existimantur, prope intolerabili modo insaniunt, magna securitate contemnebat; non rarò stomachanti proprior, quum ventosissimi seculi nugas detestaretur. Dolorem autem & vulnus nostrum, quod ex tanti Viri obitu accepimus, ipsa ejus magnitudo verbis exprimere non sinit.

Lacrimæ ingentes stupent,
Parvæ loquuntur,

ait Poëta. Itaque nihil præfati amplius, ad ipsam narrationem nos accingemus. BARTHOLOMÆUS REUSNERUS, Vratislaviæ, Silesiæ metropoli, & omnium Germanicarum urbium pulcherrimâ ac nitidissimâ, perantiqua gente familiaque tot in omni disciplinarum genere doctissimis viris clarissimâ, anno gratiæ cIɔ Iɔ LXV. d. XXIIX. Martii, horâ II. pomeridianâ natus, avum paternum habuit, BARTHOLOMÆUM; proavum NICOLAUM; abavum JACOBUM; atavum SIMONEM, omnes antiquæ virtutis & fidei viros; quique amplissima prædia ac fundos in universo agro Leorino, (hinc enim oriunda REUSNERORUM gens est) jam olim possederunt. Pater BARTHOLOMÆUS REUSNERUS D. primùm Vratislaviæ, novissimè autem Zittaviæ ad Sudetum radices sitæ, Poliatrum egit: vir eximiæ doctrinæ, non in re Medica tantùm, sed Theologicâ etiam, & Philosophicâ, quod scripta, quæ edidit, testantur. Mater CATHARINA UTHMANNIANA, Patriciæ stirpis, sanctissimis moribus fœmina fuit. Literas & Artes, quibus prima ætas imbui solet, quum mirâ docilitate ingenii, quâ præstabat, in Ludo Zittaviensi arripuisset, exemplo Patrui, CHRISTOPHORI REUSNERI JCti & Syndici Leoberg. instigatus.

gatus, Jurisprudentiæ discendæ causa, Argentoratum, commendatus literis Nobiliss. & Amplissimi Viri, Dn. ISRAELIS REICHELII in Vratislaviensi Rep. Senatoris, affinis sui, in cujus sinu primam pueritiam egerat, instar filii ab eo amatus, XVI. quasi annorum adolescens abiit, & statim in contubernium agnati sui, NICOLAI illius REUSNERI, JC. & Comit. Pal. Cæs. qui eo tempore in Academia illâ publicè Jurisprudentiam cum magna nominis glor â docebat, se dedit. Quo duce atque auctore cum universæ Philosophiæ, tùm Civilis Sapientiæ cumprimis, & Jurisprudentiæ doctrinam studiosè perdidicit. Agebatur jam annus septimus, quum accidit, ut idem ille Magnificus atque Amplissimus Vir, cujus modò mentionem fecimus, ab Illustrissimis Saxoniæ Ducibus ad instaurandam & reformandam Academiam Jenensem evocaretur: quem sequi noster omninò sui officii, nec minus è re studiorum fore, existimabat. Quocirca quum per triennium integrum ibi commoratus, quà disputando ac declamando; quà docendo ac repetendo, cum seipsum, tùm alios bonæ notæ & illustris ordinis adolescentes exercuisset, summo Docturæ, quem vocant, titulo ac gradu insignitus publicè, solenniterque M. Decembri anni cIↃ IↃ XCI. decoratus est. Hactenus tempus fuit, quod sibi præcipuè ac privatim vixit Noster: sequitur illud, quod & Illustre dignitatibus, & omne in publicis gravissimisque negotiis actum fuit. Nam posteaquam publico doctrinæ Juridicæ testimonio ornatus atque instructus esset, omnium ore eruditio ipsius atque solertia ferri cæpta est. Quo factum, ut, quum A. cIↃ IↃ XCIV. requireretur, qui Justinianeas Institutiones in Academiâ nostra doceret ac explicaret, ipse potissimum ab Ampliss. JCtorum Ordine idoneus judicatus est, cui id muneris demandaretur: quod cum Academiæ Senatus, tum imprimis Illustrissimus Pro Elector D. FRIDERICUS WILHELMUS Saxoniæ Dux &c. ratum habuit. Has igitur partes quum strenuè & magna cum laude functus esset, sequentibus annis ad altiora subinde conscendit; donec tandem anno cIↃ IↃ CVII. JOHANNE ZANGERO Collegii Juridici Seniore & Antecessore primario; & paucis post sepitmanis LUDOVICO PERSONIO Profess. Codic. & Electoris Sax. Consiliario, qui in ZANGERI locum subrogandus erat, mortuis, Professor Drecetalium, quæ prima dignitas, adeoque totius Amplissimi Ordinis

caput designaretur. Quas summi muneris partes, quum XVI. ann. magnâ industriâ, fide, ac innocentia (nec enim temere alius in jure dicundo religiosius versatus fuit) administrasset, novissimus honor accessit, quum An. cIɔ Iɔ XXIV. iu Supremo Appellationum Judicio, quod Dresdæ est, à Sereniss. Electore assidere juberetur. Academiæ fasces Rector ter gessit: Decanatum sæpius: Visitationi Ecclesiarum Electoratus, Principis nomine cum aliis, quibus id datum negotii, semel adfuit. Quibus magistratibus ac muniis publicis ita præfuit, ut semper singularem, cum solertiæ, tum prudentiæ atque justitiæ laudem auferret. Præter insignem Juris universi scientiam, Theologiam ita doctus erat, ut alius vix magis, qui in eo studiorum genere totus esset. Quo ipsum naturæ præstantia, & ille innatus amor ac reverentia Dei incitabant: quem rectè nosse, & purè colere, principem sapientiam, & quo nihil majus homini contingere posset, existimabat. In quo multum adjuvabatur, quod Græcæ non modò, sed & Hebrææ linguæ cum paucis peritissimus esset. Nam qui non nisi Bartolum & Baldum mirari solent, & sapientiæ regnum tenere putant, quum aliquam Legem Juris semilatinis verbis exponere, & ejus usum in foro paulò dexterius monstrare possunt, suæ opinioni relinquendos putabat. Sibi & aliis sublimioribus animis nonnihil altius enitendum arbitrabatur, quàm ubi vulgus ingeniorum hærere solet. Præter nobiliores has linguas, Italicam quoque & Gallicam, quarum in aulis hodiè maximus usus est, suo sibi Marte didicerat. Nec quicquam usquam fuit in literis aut disciplinis, quæ quidem liberali homine dignæ sint, quod sibi intactum pateretur. Nam & Astronomiæ attenderat & Geometriæ: & Geographiam omnem, hodiernam cumprimis, ita callebat, ut nemini notior sua domus, quam huic universus terrarum orbis esset. Sed Musicâ imprimis delectatus fuit: qui ut selectissimarum Cantionum, & organorum variorum copiam sibi compararet, magnos sæpe sumtus fecit. Quæ tamen non instrumenta luxuriæ ac lasciviarum patiebatur fieri, quarum rerum acerbissimum odium semper professus est; sed ut occupata divinis laudibus, animum, non modo fessum rebus gerendis innocente voluptate reficerent; sed & eundem, ab ignobilibus curis avocatum, sua divinitate imbuerent. Quo fine & Sophus ille Samius, qui multa Christianismo proxima, ut ipsi SS. Patres obser-

ſervant, & pene paria docuit, diſcipulos ſuos, & mane ſurgentes de ſomno, & veſperi ituros cubitum. tàm lyra, quàm voce canere volebat. Amavit & Poeticen, ejusque à primis annis Studioſus fuit. Nam & legebat Poëtas, quum eſſet otium, veteres cumprimis, & ex illis Homèrum atque Virgilium præcipuè, hoc eſt, optimos & ſapientiſſimos: & ipſe non rarò liberalis luſus cauſa aut Epigrammate, aut alio quodam breviore carmine (nam magna opera componenda otioſis relinquebat) expertus ingenium, negotia ſua interſtinguebat. Maximorum virorum ſecutus exempla, qui ab harum literarum ſuavitate remiſſionem ſubinde petere ſoliti fuerunt. Sed præter Muſas, & Flora quoque, hoc eſt, hortorum & illa divini, & quidam loquitur, ruris amœnitas, ipſius animum delinierat. Ratus nunquam ſe magis vivere, quam ubi in villa ſua ſuburbana & horto, qui Domini frugalitatem facilè prodit, aut ſubter arborum, quas ipſe ſeverat, umbraculis, aut florum inter areolas jucundiſſimo ſpectaculo paſcens oculos, obambularet; nec tam cum animo volveret, quàm belle cauponari cauſas, aut promercalem habere juſtitiam poſſet; ſed quanta felicitas fuerit primorum hominum, & innocentiſſimi ſeculi voluptas, quod non abs re Poetæ aureum appellarunt; cujus ruri præcipuè quædam veſtigia ſupereſſe ajebat. Uxores omnino duas habuit: DOROTHEAM, JOHANNIS ZANGERI JCti & PP. &c. Viri Ampliſſimi atque Clariſſimi filiam, quam M. Novemb. anni cIↄ Iↄ CI. domum duxit: & DOROTHEAM BRACKELIAM, Patre Livono, Equeſtris dignitatis viro, natam: quam prius Conjugem JOHANNES SCHREITERUS, Regis Daniarum Piſcatuum Præfectus, habuerat; ex quo nihil liberorum tulit. Prior ſeptenâ prole patrem reddidit: de qua & hodieque ſuperant, prærer filium JOHANNEM BARTHOLOMÆUM, omnium natu minimum, eximiæ ſpei adoleſcentulum, MARIA MAGDALENA, Viri Ampliſſ. D. GEORGII SCHULTZII, J.U.D. & Facultatis Juridicæ Aſſeſſoris digniſſimi, uxor, & Charitas Urſula, D. Nicolai Schultzii J.U.D. Viri Clariſſimi Conjux: deniq; Anna Dorothea, quæ nullis implicita nuptiis, eximiâ pudoris & caſtitatis laude celebratur: reliquos in primâ pueritia mors exſtinxit. Uxores comiter habuit, & rarâ fide ſemper dilexit. Liberorũ ut amantiſſimus fuit, ita nihil antiquius habuit, quam ut rectè educarentur: quos inprimis pietate imbuendos exiſtimabat.

Altera cura erat, ut doceret, contemnere humana, & nullum pretium in illis ponere, quæ prima omnium plerique putant. Quod voce non modo, sed exemplo, quod efficacius est, faciebat. Quibus adjiciebat utilium quoque librorum lectionem, qui vel imbuerent vera fide animos, vel præceptis salubribus atque exemplis rectè componerent. Ex quibus pii illius ARNDII libros, & Acta Martyrum nominasse sufficiat. Videbat enim ea in nos venisse tempora, quibus firmare animum expedit constantibus exemplis. Tali modò quum ultra LX. annos produxisset vitam, catarrho Apoplectico infestari cœpit; nonnunquam, ut de vitâ periclitaretur. Quô factum, ut vires corporis mirum in modum deficerent, aliàs & perpetuis studiis & tot negotiis ac curis satis afflictæ. Quamobrem, optionem sibi generum suum, Dn D. GEORGIUM SCHULTZIUM J. U. D. &c. adjungere, qui suam vicem in exponendo Jure publicè præstaret, necesse habuit. Sed quum superiore anno mali vis in præstantissimam humani animi partem cumprimis incumberet, domi se continere penitus & ab omni negotiorum administratione se abstinere voluit: assiduâ mortis meditatione, quæ sapientiæ præcipua pars, animum exercens. Ineunte hoc mense Novembri magna vehementia catarrhus suffocativus ingruit: sed qui repressus Medicorum curâ nihil tum nocuit vitæ. Sed quum superiore Dominica se commoveret iterum, tum accidit, ut tot virtutibus, tot dignitatibus Clarissimus vir, lenissima morte, quod ejus merebatur pietas, decederet, quum LXIV. annos; & quod excurrit, confecisset. Qui licet nunc suo potitus cœlo, de rebus mortalium amplius parum sollicitus sit, nec ullo, vel splendidissimo exequiarum honore teneri possit; tamen non negligendæ ipsius reliquiæ sunt, quin omni honoris genere, quo affici vitâ functi solent, corpus ipsius, in quo tàm nobilis & supra vulgarem conditionem evectus animus hospitatus, prosequendum est. Quod cum ad H. I. postea futurum sit, Vestrum erit, Viri Amplissimi & tam eximiè de Academiâ ista & studiis per XXXVI. ferè annos meriti funus frequentes deducere ac comitari. Efferetur ex ædibus propriis, & Concione funebri celebratus in Templo arcis, eo, quod sibi vivus paravit, sepulchro componetur, dum fama interim ejus ac gloria semper nobiscum commorabitur. PP. ad d. XX. Novembris anno recuperatæ gratiæ cIↃ IↃ CXXIX.

Sum-

Summo huic JCto habita fuit concio funebris in Ecclesia à D. *Paulo Röbero*, ex *Apocal*. 2, 7. 11. 17. 26. 27. 28. & cap. 3, 5. 12. 21. In Auditorio autem publico, Eidem Heroicô carmine parentavit M. *Nicolaus Hoffmannus*, Culmbachio-Francus.

EPICEDIA.

Eloquio qui non ulli prudente secundus,
Lanx Themidos, Pacis Fautor, & Artis amans:
Consilio promtus, casus resolutus ad omnes,
Laudem omnem supra, major, & invidiam:
Iure-peritorum trabs aurea & inter Atlantes,
REUSNERUS *noster funere mersus obit.*
Hic cum transit apex, O quantum transit honoris:
Quantum Parca decus sustulit, eripuit?
Hunc ergo fatis plangat Respublica ademtum:
Hunc quoque Leucoridum plangat in urbe cohors.
Huic ego pro meritis & consuetudinis usu
Vltima cum lacrymis defero verba Viro:
Acer eras Heros Themidos fortis quoque in armis
In cœlo HEROIS *præmia digna feres.*

JACOBUS MARTINI, D. & P.P.

Non dedit una dies, quem nobis abstulit una,
REUSNERUM *magnâ dexteritate Virum.*
Si tua res fuerat delata ad judicis urnam,
Illius poteras consulere ora Viri,
Laus erat hæc illi sine vi componere lites,
Et, veluti fas est, reddere cuique suum.
Si linguam Hebræam, Græcamque ex codice sacro
Audire optabas, promtus id omne dabat.
Et sic in sacro atque humano dogmate clarus,
Re testante, senex hic venerandus erat.
Hunc rapit una dies mundo, sed & ingerit astus;
Cum Christo innumeras vivat ut ille dies.

AMBROSIUS RHODIUS D.

EPITAPHIUM.

BARTHOLOMÆUS. REUSNERUS. URATISLAVIENSIS. SILESIUS. U. J. D. & PROFESSOR. EMERITUS. JURIDICÆ. FACULTATIS. ORDINARIUS. ET. VICEDECANUS. PERPETUUS. AC

IN. ACADEMIA. SENIOR. SERENISS. PRÆTEREA. SAXONIÆ. ELECTORIS. CONSILIARIUS. CURIÆ. PROVINCIALIS. ET. DICASTERII. NEC. NON. CONSISTORII. ECCLESIASTICI. HIC. WITTEBERGÆ. ET. SUPREMI. APPELLATIONUM. JUDICII. ASSESSOR. DRESDÆ. OBIIT. AN. CHRISTI. M. DC. XXIX. MENS. NOVEMB. D. XVI. ÆTATIS. A. LXIV. PROFESSIONIS. XXXV.

SCRIPTA.

Oratio, cum Illustrissimus Princeps D. Augustus Saxoniæ Dux Rector Academiæ Wittebergensis renunciaretur: *VVitteb.* 1601. in 4.

De obligationibus ex die vel ad diem contractis: *ibid in* 4.

Discursus Philosophicus contra Novatores & abusores legum corruptores: *ibid.* in 4.

Commentar. in septem Leges difficillimas: *Francof.* 1606. in 4.

Disputationes exercitii causâ crebrò instituit, quarum nos aliquot vidimus, de Moneta: De Mutua conjugum successione: De exemtione Clericorum, quoad personas eorum ex c. si diligenti &c. De foro competente: De recusatione judicis suspecti: De actis judiciorum ritè conscribendis: De Traditionibus, modo acquirendi Dominii naturali & frequenti: De hereditatibus ab intestato: Ex L. rem majoris precii 11. c. de rescind. venditione.

PAREN-

PARENTATIUNCULA
DE
VITA ET MORTE
VIRI Consultissimi & Excellentissimi

DN. ANDREÆ DINNERI,

JCti, Consiliarii & Professoris
Norici laudatissimi &c.

Honoris & benevolentiæ ergò in celebri Vniversitate Altdorphinâ

Habita

à

FRIDERICO TUCHERO
NORIBERGENSI,

14. Calend. Novembr. Anno 1633.

MArcum Tullium disertissimum illum Romuli Nepotem, Magnifice Dn. Rector, Reverendi, Consultissimi, Excellentissimi, Clarissimi. Dn. Professores, Præceptores, fautores observandi, tuque splendididissima studiosorum corona, M. inquam Tullium indecorâ semper trepidatione quasi puerum singultientem exordiri consuevisse, tam notum vobis esse arbitror quam quod notissimum, quod Fabius in eo laudat, ut cordati Oratoris, & periculum intelligentis argumentum. Id ego nunc inter literatos qui sum, tanquam Nycticorax ad solem, vel nihil, vel parum admodum intuens, dum paulò altiori mentis indagine perpendo: Summum illum Oratorem, quo non alius eloquentior fuit unquam, conspectu Virorum Gravissimorum adeò fuisse perturbatum, vereor, nec non extimesco magnopere, ne mihi illud, aut si quid possit pejus, accidat, quod olim Theophrasto, qui progressus in concionem repentè obmutuit, perinde quasi lupo conspecto. Icaro enim aut

Phaëthonte, ne dicam Gigantibus audaciorem esse arbitror, quod homo adolescens, qui munus Oratorium non modo primoribus labiis non gustavi, nec extremis digitis attigi, sed ne à limine quidem salutavi, inque hoc genere penitus rudis, inter tot eruditissimos Viros, qui mihi supremus eruditionis Magistratus, & Senatus quasi quidam litterarum esse videntur, ad dicendum accedo, cum libere fatear, largiarque lubens, in hoc splendido splendidissimorum Virorum ac Studiosorum consessu, neminem, si hanc dicendi provinciam suscipere voluisset, fore, qui non eruditione & eloquentia tantum me præcedat,

Ante alios quantum Pegasus ibat equos.

Verum, Auditores Humanissimi, non me mira aliqua gloriæ fames, non eruditio imaginaria, non denique illa quæ adolescentiæ ut plurimum adhæret, inconsideratio, tàm audaculum me reddidit, sed sola, atque unica Virtus: Virtus inimitabilis, Virtus omni deprædicatione major piæ memoriæ Viri in dicendo, omnibusque artibus admirabilis, Dn. ANDREÆ DINNERI JCti Summi, cujus vel ipso commemorato nomine singularis quædam omnis eruditionis species animis auditorum occurrit, qui, verus Musarum Apollo, litterarumque Princeps integrum ferè abhinc annum fatale & lethæum illud poculum quod omnibus est exhauriendum magno, proh dolor! totius hujus Universitatis luctu hausit, exhausit: quod omnes recenti adhuc tenebunt in memoriâ. Cum igitur ipsa Virtus nullam mercedem aliam, laborum, periculorumque desideret, præter laudis & gloriæ, ut nimirum frequenter bonorum virorum præconia virtute acquisita renoventur, ac celebritas eorum, qui honesti aliquid gesserunt, immortalis, & gloria illorum, qui patriæ benefecerunt, multis innotescat, adque posteros propagetur; & quod maximum est, juventus ad hoc provocetur, ut nihil non pro Reipublicæ commoditate ferendum subeat, quo celebritatem, quæ bonos viros comitatur, consequatur: itaque ne & hujus tanti Viri posteritatem oblivio capiat, & ego pium hoc, ut puto, quamvis grave onus solâ (ingenuè ut fatear) inclinatione voluntatis mihi imposui ipsi, paucas quasdam ex ANDREÆ DINNERI laudibus (neque enim possent in hâc temporis fugâ numerari omnes) Musis benè faventibus recensere, Timanthem hâc in parte imitaturus, qui Cyclopis dormientis magnitudinem parvâ tabellâ exprimere volens, pinxit juxta Satyros thyrso polli-

pollicem ejus metientes, ita & ego exiles tantum in tantâ laudum sylvâ lineas ducam, cum in me tantus ingenii vigor, tantaq; dicendi vis & copia non sit, ut non dicam exornare, sed vix mente consequi, aut rudi penicillo delineare vel leviter saltem possim, quantæ sint illæ nostri procul dubio Æternitatis nunc Candidati, quantisque elogiis extollendæ virtutes. Nunc quidem jam semel altum ingresso, quæ me cunque tempestas exceptura est, vela utique facienda sunt. Quapropter Auditores Præstantissimi, si parùm elaborata hæc mea oratio tantum apud vos ponderis non habet, quantum personæ tum dignitas tum honor requirit, aut si forte lachrymarum imbres oculis profluentes, cursum Orationis meæ retardaturi sint, id partim tenuitati, inprimis verò tristitiæ, atque dolori ut condonetis, per genua, atque dextras oro. Ut igitur sine prolixiori digressiunculâ exordiar à natali solo, vel patriâ Viri hujus Incomparabilis ANDREÆ DINNERI, fuit hæc, Francia Orientalis, Vetustissima illa nobilium Virorum parens, Augusta, bellicosa, regionum quotquot magna illa, ac vasta Germania continet, generosissima & florentissima illa, inquam, acerrima aureæ libertatis propugnatrix Francia, quæ nomen sibi ipsi à vindicatâ libertate creavit, antiquatâ communi illa Germanorum appellatione, à meridiæ Sueviæ, atque Bavariæ vicina, ab Ortu Bohemiæ, ab Occasu Rheno contigua, & quà Septentrio est, Hassos vicinos habet, atque Thuringos. In qua aër regionis purus, & saluberrimus: regio ipsa apud omnes audiens amœnissima, terrenusque orbis Paradisus, summa, planeque prodiga soli fertilitas: hordeum enim triticum, & omne frumentum, atq; legumen satum cum fœnore reddit: piscium quoque volucrum, & quicquid animalium venatio, piscatio & aucupium desiderant passim ultra abundantiam alibi non sic inveniendam, præsens est copia. Plurimis in locis montes consiti, collesque vestiti vitibus vinum gignunt, omnium palato Ambrosiâ, nectareque suavius: nec non cum bonitate certat etiam vini copia, ita ut cottidiè magnam copiam domum asportent, Hispani, Galli, Angli, Scoti, Sueci, & quicquid populorum bibacissimus continet septentrio. De hortis ad invidiam amænissimis, omnium diliciarum sedibus, de arborum opulentiâ cultissimis pomariis, atque pratis verba non faciam, singula enim singulas postularent orationes. Cedent certè huic terræ, terra Cretensis, parvi Jovis gloriata cunabulis, & alumno Hercule

 nobi-

nobiles Thebæ, Cedent Campania monte Gaurano celebris, Polonia, atque Hungaria memoratæ armento, cedent fastuosa Hispania, mundi ocellus, atque gemma Gallia, cedet denique Italia, totius Europæ beatissima, optimaque omnium propè terrarum, ut scribitur, alumna, Uniinque huic Franconiæ assurgent omnes, omnesque splendoris nobilitatis, & præeminentiæ fasces illi submittent meritò. Specialem autem nativitatis locum si desideratis, Auditores, en vobis Herbipolim, civitatem Franconiæ primariam, Metropolitanam, illam nobilem, illam cultam, illam amœnam, urbem antiquitus celebri Dianæ fano, nunc verò Episcopali sede clarissimam planissimo sitam loco, monticulis tamen & collibus undique circumjacentibus, qui suavis vini feraces sunt, ab Indigenis à dulci musto Wirceburg appellatam, naturâ loci, & opibus firmissimam, civibus plenam, ædificiorum structuris, templorum molibus, fontium deliciis, viarum nitore, ædiumque pulcherrimarum frequentiâ tam nitidè ornatissimam, ut quæ sint civium domus, eæ Principum palatia esse videantur, fossis præterea vallibus, mœnibus, turribus, propugnaculis optimè munitam: Celebre in eâ est Gymnasium, studiis liberalibus, litteratisque hominibus affluens, opibus & splendore nulli secundum. Ad occasum habet præterfluentem Mœnum, Europæ fluviorum facile Principem.

Qui centum populos, & magnas alluit urbes.

Qui magna navigia patitur, & ad subvehendas copias, largo, & perenni alveo fluit, cujus ripas utrinque jungit pons lapideus, fortissimis innixus jugis, quo patet transitus ad arcem, quam variæ tùm civium tùm rusticorum oppugnationes inexpugnabilem esse ostenderunt. Episcopatus hujus urbis fundatus est à S. BONIFACIO Archiepiscopo Moguntino, consentientibus Pipino, & Carolo Magno filio annum circiter 750. eique adjunctus est Franciæ Ducatus, ut non tàm Episcopi, quam Duces Franciæ nominentur Præsules Wirceburgici; Ex quo evenire illud etiam scribitur, ut missam agens Episcopus gladium strictum prope aram positum habeat, quæ res rythmo causam dedit,

Herbipolensis sola, judicat ense stola.

Hanc igitur urbem celeberrimam DINNERUS noster usurpavit patriam, in hâc primos edidit vagitus, terrenumque hoc exilium exorsus est ipso die Purificationis beatæ Virginis anno à nato mundi Redemptore 1579. Parentem habuit Virum Amplissimæ dignitatis, & Consultissimum

Dn.

Dn. CONRADUM DINNERUM duorum Reverend. & Illustrissimorum Episcoporum Wirceburgensium, Franciæ Orientalis Ducum, Dn. FRIDERICI, & Dn. JULII Consiliarium longè laudatissimum, J.U. Doctorem eximium & præter exactissimam Juris cognitionem in omni genere eruditionis adeò versatum, ut seculi sui facilè eruditissimus & penè unicum Græcæ litteraturæ lumen esset, quod doctissima, & utilissima ejus scripta, inprimis verò Epitheta illa Græca, magni equidem laboris opus, cum in medio sint, me etiam tacente loquuntur, ita ut illis non opus sit suspensa hederâ. Matrem vero habuit idem Noster, spectatissimæ fidei, pietatis, & honestatis fœmin. HELENAM BURCKHARDAM, filiam Dn. JOHANNIS BURCKHARDI Præfecti Ochsenfurtensis, quod tertio lapide distat ab urbe Wirzburg ad Mœnum fluvium, oppidum minimè ignobile: Is igitur de laudatissimo parentum consilio in omni pietate sanctè educatus, ut primùm per ætatulam potuit, in ludum literarium missus prima artium rudimenta feliciter percepit, ac nobile in literis ingenium maturè ostendit. Parentes conspecta in puero ingenij promptitudine insigni, magnam de ipso, ut credibile, spem concipientes, è patriæ ludo hanc in Academiam miserunt, ut ingenium, quod naturæ beneficio nactus erat, vegetum, expoliret, excoleretque. Ille, ut erat ingenio præcoci; in studijs optimarum artium laudabiles fecit progressus, studijs ita insudans, ut cum dies non sufficeret, subsidio noctis ad dulcissimas suas Musas uteretur, & quasi sibi ipsi certamen indixisset, seipsum eruditione & industria indies superabat, unde magnam etiam doctrinæ & virtutis famam apud omnes eleganter doctos obtinebat, cumque generosa indoles illius eximium ex paterno exemplo, (quem imitari unicè sibi proposuerat) concepisset ardorem, & pro ea, quæ jam in juvene elucebat prudentia, videret linguam Græcam omnium scientiarum matrem, & quasi fontem esse, magna & olei, & somni jactura ei operam dedit, eamque tàm facilè imbibit, quàm Themistocles linguam Persicam intra tempus annuum assequi, & expeditè cum Artaxerxe loqui potuit. Ita præclarè jactis, & stabilitis doctrinarum fundamentis, ex omnibus ijs artibus, quas Philosophia ambitu suo complectitur, & quæ ad excolenda, & acuenda ingenia necessariæ sunt recte præparatus & excultus, cum jam animus ad majora respiceret (sicut optimo cuique est innata gloriæ & honoris cupiditas) studium Juris aggressus

aggressus est, & sacrarum legum vasto Oceano se commisit. Noverat enim Juvenis perspicacissimus, quanta esset legum, & νομοφυλάκον qui Philosopho sunt δίκαιον ἔμψυχον, animatum quasi jus; quanta, inquam, esset dignitas, quanta necessitas, utilitas quanta, quantoque olim in honore, ac pretio JCti habiti fuerint: quàm charus fuerat Alexandro Severo Domitius Ulpianus, ille juris doctrinæ thesaurus, adeò ab illo Cæsare æstimatus, ut sine ipso majoris momenti decreverit nihil, & à milite seditioso appetitum purpurâ suâ sæpiùs texerit, defenderitque: & nostro ævo nihil omitti honoris, nihil favoris, nihil dignitatis, quod ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Rebuspublicis, non prolixè, abundè, affatim conferatur. Noverat insuper Jurisprudentiam unicam esse Justitiam, omnium virtutum parentem atque altricem, ex quâ unâ virtute boni viri appellantur, & sine quâ nihil esse potest laudabile: illam esse Deam, quæ secundum ethnicorum calculum cum Jove sedens jura & leges præscribit mortalibus, cujus vigore & ordine immutabili geruntur omnia, quæ in mundo harmoniam, in civitatibus pacem, in privatis ædibus concordiam, in mentibus verò hominum tranquillitatem, felicitatemque progenerat, atque conservat: quæ publicam privatamque salutem promovet bonorum studia præmijs excitat, malorum improbitatem pœnarum irrogatione coërcet. Hujus & aliarum virtutum quasi stimulis excitatus DINNERUS noster sublimi legum scientiæ vigilijs atque laboribus perpetuatis totum se mancipabat, animumque in Musarum hortis jucundissimè pascens omnem movebat lapidem, ut non tam Juris, quam Justitiæ studiosus esset. Vigebat eâ tempestate in hoc nostro Athenæo Excellens, atque æternâ memoriâ dignissimus JCtus, CONRADUS RITTERSHUSIUS, hujus ille in enucleando jure acumen miratus, pietatem veneratus, humanitatem insigni temperatam gravitate exosculatus est, huic indefessâ diligentiâ, audiendo vacavit, hunc sibi devinxit ferè totum, præceptorem semper salutando, & elogijs splendidissimis alicubi ornando Confirmato jam judicio, & feliciter inchoato Juris studio, Ingolstadium tunc temporis Bavariæ scientiarum celebre Emporium concessit, Excellentissimorum JCtorum ANDREÆ FACHINÆI, & HUBERTI GIPHANII fama excitus, quibus cum aliquandiu operam dedisset, omniaq; eorum dicta, scriptave thesauri instar & observaret, inque

memoriæ

memoriæ Codices referret majorem indies Juris sibi cognitionem comparabat, scientiam subinde scientiæ addens, ita ut magnum Clarissimorum illâ literariâ in officinâ Virorum favorem, atquè benevolentiam colligeret, omnesquè in sui admirationem adduceret. Alios insuper eâ memoriâ Summos in Utroque Jure Viros in diversis Germaniæ Academijs cum audiret, cœptum studij legalis cursum, in cujus quasi sinu totus conquiescebat, magnâ cum laude, prosperoque successu absolvit: Etenim cum bonarum literarum viatico largiter instructus, se vasto illi Juris Oceano commisisset, in quo multos videas diu jactatos, fractosq; vix tandem litus attingere, non paucos etiam naufragium facere, mirum dictu, quàm plenis ille velis navigarit, quàm ingens spatium brevi tempore emensus sit, quamquè prospero ventorum flatu in portum appulerit. Peracto porrò literarum curriculo, cum animadverteret in homine Politico, & JCto peregrinationis studium laudari, & eam rem multis aditum ad summam prudentiam, summasq; laudes patefacere, tanquam generosus animus cœlo affinis motu gaudens peregrinatione suscepta inducijs ad tempus cum laribus paternis, & jucundâ amicorum consuetudine factis, illam terrarum reginam, parentem illam optimam ingeniorum ac nutricem Galliam eo tempore juris doctrina celebrem adijt, eam ut perlustraret, audiendisq; quibus illa abundabat cùm alijs doctissimis hominibus, tum JCtis præstantissimis aliquid temporis impenderet, instituta ejus gentis, cognosceret, moresque domesticos asperiusculos extero civilitatis cultusque sale maceraret. In peregrinando enim minimè satis esse sciebat, regiones vidisse, ceremonias solùm vanas addidicisse, quod factitant pleriq; qui cum nil nisi castella, montes, valles, amphitheatra, templa, palatia, columnas, statuas, ruinas, hortos, aquæductus, sepulchra, aliaque ludicra intuentur, suo se officio probè functos esse sibi persuasum habent: verum necessarium esse recondita quæ sunt in ipsâ politiâ, statum uniuscujusque Reipublicæ, officia, modum vivendi, leges, mores, naturasq; populorum quàm diligentissimè perspexisse, atque exinde acquisitam prudentiam in Reipublicæ suæ usum conferre. Instituta enim variarum gentium, ritus hominum, formæ civitatum, incredibile est, ad judicium & prudentiam quàm potenter possint, scribit ille totius humanitatis politissimus vindex Justus Lipsius. Noster igitur DINNERUS postquam florentissi-

rentissimum hoc regnum peragrasset, alias etiam regiones visendi cupidus, laudatissimam illam regnorum trigam Britanniam transfretavit, ut &

Illorum mores hominum lustraret & urbes.

Cumq; ibi quoque aliquantisper commoratus desiderio suo satisfecisset, secundâ vice Galliam repetijt, post etiam Germaniam Europæ latissimam regionem, Romaniq; Imperij decus, securitatis olim certissimum portum, nunc vero (DEUS bone) bellicis refertam furoribus, & ad vastitatem plurimis in locis vocatam, communem nostram patriam perlustravit. quam Machiavellus commendat, quod in eâ solâ extent adhuc antiquæ illius Romanorum virtutis, atq; bonitatis insignia exempla: Inde in Italiam, principem illam gentium, rerumq; Dominam delatus, peregrinandi desiderium in eâ per integrum annum quodammodo explevit. Dici autem vix poterit, quantùm molestiarum, laborum, & periculorum illis in itineribus, solo literarum & scientiæ amore exantlârit, cum jam inter ac super lacus, atque paludes innumerabiles, nive, & glacie labescentes, super maria, flumina, pontes, præcipitia, inter piratas, latrones, hæreticos, nives Alpium, immensæque longitudinis sylvas, pediti, equiti, naviganti, die & nocte, frigore & æstu fuit eundum. Verùm ex illâ peregrinatione, non inops virtutum redijt, sed præter exactissimam non Italicæ solùm, sed & Gallicæ linguæ cognitionem, ea ipsemet oculis vidit, quæ nullo studio, nulloq; magistro addisci possunt, & ea, quæ honestati sibiq; olim usui futura putabat, recto judicio selegit atque in succum & sanguinem convertit, unde magnum & ornamenti & dignitatis fœnus ipsi accessit. Cum autem per multa confragosa, atque ardua ad Virtutis ædes quæ in sublimi, atque aspero collocatæ sunt loco, pervenisset, restabat nihil ampliùs, quàm ut per eas Honoris templum ingrederetur: Vix enim invenitur, qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Tübingam igitur Germaniæ celeberrimum Musarum emporium anno à Messiâ exhibito 1603. profectus, DOCTORIS titulum non minori studio, & assiduitate aucupabatur, quam si cum Jasone aureum vellus ad Colchos rapturus esset, ibiq; post rigorosam, ut loquuntur, & diuturnam examinis probationem non modo Juris Antistes audivit egregius, sed & suprema laurea uno omnium facultatis Juridicæ patrum & voto, & suffragio 22. ætatis anno

juvenis

juvenis adhuc raro exemplo fuit ornatus. Inde confestim Spiram Nemetum Camer. Imperialem ad praxin quæ (teste Baldo) est scientia legum digestiva, & sine quâ theoria maximè mutila, manca, & periculosa evadit, se contulit, in quo studio exercitatissimos quosdam Franconiæ Advocatos, Adjutores, & Magistros habuit, ubi ab ipsis quippe fundamentis jura omnia discebat planè ad amussim longoq; usu, & experientiâ depræhendebat doctos quosdam dolos quorundam, quibus glaucoma judicum oculis offundere solent. Inde tandem lætus, ac velut triumfans domum redijt, annoq; Christi 1605. conjugio se mancipavit, nexumque inijt Bambergæ cum lectissima, expetita religiosæque pietatis virgine URSULA, Amplissimi & Consultissimi Viri Dn. PANCRATII HOLTZSCHUCH J. U. Doct. præfectiq; Præpositurae Bambergensis, & Nobilitatis Montanę in Franconia Advocati florentissimi filiâ, quâ cum, ut conjuges decuit, vitam egit instar turturum placidam & concordem, ita ut ne voto quidem suavius conjugium optari possit ex quâ decies parens effectus, cæteris in beatarum illud animularum contubernium jam ante præmissis, filium tresq; natas post se reliquit, quarum natu major nata cum parente viduâ à sæviente pro tempore Apolline abrepta, paucas abhinc septimanas inter vivos esse desijt, nuncq; in cineribus hospitatur. Vix autem maritus factus, cum fama eruditionis ac nominis ipsius indies latius se diffunderet, virtute duce, comiteque fortunâ ab Inclyto Senatu Noribergensi anno nuptias sequente 1606. mense Junio evocatus, ut à consilijs sibi esset, vocationem secutus suo loco fidem, & industriam præstitit singularem, causasque Reipublicæ Noribergensis ita præclarè egit, ut promptissima ejus consilia, expeditæ consultationes, salutaresque decisiones, tanquam Apollinis Oracula personarent, & ejus operæ uberrimum fructū civitas illa adhuc sentiat. Sub idem ferè tempus, paulò post demandatum, ei munus consiliariatus, cæpit hic publica Institutionum exedra vacare, cui statim summâ omniū consensione ipse est præfectus, quam ita quidem prudentiâ suaviloquentia, sedulitate decoravit suâ, ut non ab ea accepisse, sed in illam splendorem intulisse prædicaretur, tanta namque industria, tantaque in frequentia auditorum propagabat Juris doctrinam, ut diserta & succincta explicatione lucem afferens plerisque materijs, plurimum adjuverit, & provexerit studia discentum. Collegas tunc habuit amicissimos

ſimos & familiariſſimos, Dn. CONRADUM RITTERSHUSIUM, & Dn. SCIPIONEM GENTILEM, quod nobile ingeniorum par literaturæ decus ille ſtrenuè extollebat, amicisque & collegis ſæpiſſimè confirmabat, eorum celebritate, & famâ magis quàm vitâ ipsâ ſe lætari: cumq; jam Inſtitutiones Juris ſexennium, & quod excurrit, magnâ quidem laude pro Cathedra expoſuiſſet, Clariſſimus Dn. RITTERSHUSIUS Pandectarum Profeſſor, olim Præceptor, tùm autem Collega ejus amantiſſimus, Vir quo majorem Germania non habebat, in cœleſtis vitæ conſuetudinem migrabat, adeoque lacuna agebatur laudatiſſima, ad quam explendam DINNERUS noſter maximè idoneus viſus Succeſſor & Profeſſor Pandectarum A. 1613. à Senatu Norico eſt electus. Hanc igitur Spartam, quam propter opinionem virtutis atque doctrinæ nactus erat, egregiè ornare ſtudebat, inque id unum elaborabat, ut ſtudijs ſuis tàm privatis, quàm publicis, tàm Academicis, quàm forenſibus, ordinem Juridicum, ante celeberrimum redderet celebriorem: quam functionem laudatiſſimam per triennium, tantâ ſemper & fidelitatis, & diligentiæ laude obivit, ut omnium in ſe ora converterit, & laudibus eruditi theatri floruerit. Morte tandem Excellentiſſimi JCti SCIPIONIS GENTILIS Codicis Profeſſoris, Summi certe Viri, & felici ſydere huic noſtræ Univerſitati dati, ad primariam hic Doctorum ſedem, ac maximum dignitatis, & eminentiæ gradum juſſu Magiſtratus Norici A. 1616 aſpiravit, & cum titulo Profeſſoris primarij Codicis Profeſſor eſt deſignatus, princepsque ſtudiorum non ut unus è multis, ſed inter multos propè ſingularis omnium conſenſu perhibebatur; Tam præclaram enim ſolidæ in legibus ſcientiæ, & accuratiſſimæ legum interpretandarum facultatis famam, atque exiſtimationem apud exteros quoque obtinuit, ut fideliſſimis conſultationibus inſtar certi Oraculi adhibitus fuerit, & ad eum difficilimæ undique cauſæ delatæ ſint: Accuratâ enim & penè ſuperſtitioſa utebatur diligentiâ, & circumſpectione in ferendis ſententijs, ut ne quid de re non ſatis exploratâ diceret inconſultus. A Tullio commendatur incredibilis quædam, ſtupenda, & penè divina Sulpitij in legibus interpretandis, & æquitate explicanda ſententia: at enim vero hic alter quaſi Sulpitius minorem laudem in jure tractando conſecutus non eſt, qui non tàm docendo, quàm tum privatis, tum civitatibus, Principibusq; conſulendo, quasvis
etiam

etiam gravissimarum causarum agendo, domi eam æquitatis famam consecutus est, ut ejus domus meritò Oraculum Curiæ, Senatus & totius Urbis Noribergæ dici potuerit. In illum etiam, si in quempiam alium quadrare videtur elogium illud, quo Themistoclem insignivit Thucydides: Erat rerum improvisarum cum brevissimâ deliberatione judex præstantissimus, & futurarum ac eventus ipsarum plerumque optimus conjector. Non enim ea quæ ante pedes modò erant videbat (ut Comici verbis utar) sed etiam futura. Strabus quidam tàm certâ oculorum perspicuitate olim usus esse fertur, ut CXXXV. millia passuum pervideret, atque in Lilybæo Siciliæ promontorio classem è portu Carthaginensi solventem cernens, & navium numerum, & velorum seriem dinumeraret: Noster vero DINNERUS longius multò prospiciebat, ita ut etiam incertos provideret casus, & prout rerum, & temporis varietas exigebat, prudentia quâ pollebat singulari, consilia in numerato, & quasi catenata haberet: Quantum enim visus reliquis sensibus, tantum prudentia in regimine cæteris præpollet virtutibus. Unde veteres Ægyptii in sceptro regio oculum insculptum extare voluerunt, quo innuerent prudentiam (quæ animæ oculus à Philosopho nominatur) in principibus Viris eorumque in gubernatione administris vel maximè requiri. Cæteras ejus virtutes ne enumeremus, in profitendo summam habebat gratiam, & actionis vividissimam energiam. Jureconsultum acris judicii, & in praxi dexteritatis singularis, ac velut alterum quendam Papinianum cognovit curia Noribergensis, ordoque Amplissimus, Oratorem dicendi peritum, Historicum, & Philologum, rerum etiam & exemplorum, omnisque vetustatis peritum probant dicta & scripta ejus. Humanitatem ejus, ut taceam, quæ illo penè major fuit, quàm in tantum virum credatur cadere, itaque magnus ad eum, & literatorum, aliorumque fuit concursus, quos admisit humaniter juvitque quibus modis potuit liberaliter, nihil erat, quod illis non communicaret, ex suis, quod si poterat, non præstaret, itaque vicissim charus omnibus erat. Pietatem autem regulam & Principium virtutum ante omnia impensè colebat, inque lectione scriptorum Propheticorum, & Apostolicorum, & infrequentandis concionibus sacris erat indefessus, atque assiduus: Vera enim pietas altissimas in ejus pectore radices egerat, cum summam doctrinæ, quæ

L secun-

ſecundum pietatem eſt, à primis incunabulis ex verbo Dei didiciſſet, ac religioſiſſimè ſemper eſſet amplexatus, hac inflammatus Deum quotidianis precibus non ſine calidis lachrymis eſt veneratus. Teſtantur id illæ precum quotidianarum formulæ, quæ nil niſi purum, merumque Dei amorem ſpirant, ac loquuntur, tanquam Juſtitiæ autem Sacerdos adeò erat juſtus, ut ne montibus quidem aureis adduci ſe pateretur, quo contrà æquitatem ſtatueret, faceretve. Erat in omni vitâ amans ordinis temperans, caſtus, ſobrius, comis, officioſus, omnibusque inſtar herbæ parietariæ, ut veteres loqui amarunt. Atqui ſi omnes & ſingulas Viri hujus virtutes enumerare velim, ſat ſcio

Ante diem clauſo componet veſper olympo.

Rectoris officio ſecundum functus eſt, & quidem tantâ integritate, dexteritate tanta, tantaque cum laude, ut omnes Univerſitatis hujus cives, atque adjuncti, omnia ſe ſumma ei debere ſemper lubentes, meritoque uno ore ſint confeſſuri, quem honorem cum compluries gerere potuiſſet, oblatum ſemper certas ob cauſas conſtanter recuſavit. DECANATUM, ut vocant, Facultatis Juridicæ aliquoties geſſit, ipſeque Decanus Clariſſimos & Excellentiſſimos Candidatos primus primos in hac Univerſitate J. U. Doctores, tamque Themidos Antiſtes ſupremâ laureâ coronavit. Senior Collegii JCtorum per multos annos fuit, à morte nimirum beatæ memoriæ Viri nunquam intermorituri Scipionis Gentilis, ad usq; triceſimi tertii ſeculi hujus annum, Lycæoque Altorfiano velut ſtella radians affulſit, aliisque præcellunt, præclarumque illud Alciati meruit elogium.

- - magna ſpes altera Romæ.

Verum ut ſummus ille vitæ, mortisque arbiter Deus, optimum quemque, aut mala valetudine, aliisve incommodis afficit, ſic & DINNERUS noſter tanquam Deo dilectus adverſa quandoque valetudine laborare, ac aliquoties cum morbo ſatis periculosè conflictari cœpit. Phtiſin vocant Medici, quæ vires ejus paulatim collabaſcere fecit, ita ut aliquot jam abhinc annos ſine ſcipione in publicum prodire non poſſet: Neque vero hic morbus, qui alioquin voluptariis familiaris eſſe ut plurimum conſuevit, ipſi ex intemperantiâ aut crapulâ enatus eſt: domi enim ſuæ temperanter vixit, & conviviis ferè prorſus abſtinuit, quod olim & Zenonem Philoſophum feciſſe memorant hiſtoriæ: ſed forſan ex peregrinationibus, curisve aut quia ſic Principi illi

illi Universi, ac Domino complacuit: Qui morbus licet semel, atque iterum peritissimorum Medicorum opera fideli esset depulsus, attamen sævior, atque ardentior semper rediit, ita ut Medicorum amplius cura, atque peritia adversus eum nil valeret, diuque se protraxit illa, quam per omnem vitam pertinacissimè observabat temperantia, usque dum eo tempore majori cum impetu lethali omnium virium deliquio recurreret. Ille igitur, cum jam mortis prodromum in suo tabernaculo sentiret, se ad beatum exitum comparabat, usus que sacra Eucharistia viatico pernecessario ad iter illud extremum in cœlestem patriam conficiendum, præmissa humili peccatorum confessione in ardentissima invocatione DEI, corporis tandem ergastulo exemptus est morte placidissimâ, & sic benè actam vitæ fabulam catastrophe beatâ clausit, ea nocte cui illuxit 24. dies Novembris in Dominicam incidens, anni præteriti 1633. cum vix per biduum decubuisset, lue tabificâ ita consumptus, ut de ejus emaciato corpusculo dici potuerit:

Pellicula indutum sceleton vix ossibus hærens,

Hic fuit exitus viri ad omnia summa nati, qui ut illi beatus atque oportunus, sic Reipublicæ, Universitati, & suis luctuosus amicis, extraneis, ignotisque tristis accidit, qui suo etiam exemplo comprobavit illud è sacris: *Homo vanitati similis est dies ejus quasi umbra præteriens.* Ideo & nos familiariter illum dolemus, atque mœremus: ejus enim morte singulare præsidium, decus, & Ornamentum, Universitas, & Respublica Norica amiserunt. Obiit namque DINNERUS noster eruditionis columen, summum literatum, & literatorum decus, Abyssus eruditionis, scientiarum quasi mare, doctorum sol. Obiit eruditorum Alpha, illa fama literatum atq; anima, ille eruditi orbis splendor, lumen Jureconsultorum, sacerdos Justitiæ, legumq; custos: Obiit is qui Athenæum hoc nostrum non aliter fulcivit humeris, quam Atlas cœlum sustinet apud Poëtas. Sed quid dico obiisse eum, qui terrarum orbem nominis celebritate occupavit, cum *Musa dignum laude Virum vetet mori:* non enim obit, qui caducam hanc vitam cum immortali commutat, sed viv:t, regnat, inhabitat nunc beata cœlestis Paradisi viridaria, ubi passim oculis simul, ac naribus adblandiuntur moly, panace, nepenthes, amaracus, ambrosia, lotus, rosa, viola, hyacinthus, Adonidis hortuli: promissumq; pietatis

 bra-

brabéum à Christo Agonotheta retulit, illi nunc immortalitas parta est, inque ipso æternitatis sinu conquiescit, ille iter hujus peregrinationis difficillimum jam fuit emensus, atque ad fatalem illam metam, quæ nobis omnibus adhuc instat attingenda, jam pervenit

- - - *illum non impia namque*
Tartara habent, tristesve umbræ, sed amœna piorum
Concilia, Elysiumque colit - - ut Poëta canit.

Deus enim TER OPT. MAX. in cujus manu sortes sunt omnium, qui terræ munere vescuntur, hominum, quique vitam non mancipio ulli, sed usui dat singulis, illum avocavit atque eò detulit

- - - *sedes ubi fata quietas*
Ostendunt miseris. - - -

ubi post laborem, requies, post luctum, fructus, post ploratum dominatus, post dolores, honorem, post æstum, temperies, post famem, fama, post nuditatem jucunditas, post tristitiam solatium invenitur, ille nunc mortalitate exutus, immortalitatem omnibus bonis affluentem est adeptus, ille nunc sortem suam ne cum Persarum regibus, nec cum Scipionibus triumphum suum cupit permutare. Et quamvis corpusculum in sesquipedali terræ frustillo nunc captivus teneatur vermibusque esca sit, & pabulum: animula tamen ejus, per hanc caducam vitam, quæ nihil est, nisi nasci, dolere, mori, illam vitam æternam intravit, in quâ gaudiorum, nec modus ullus est, nec finis, ubi inter Angelorum exercitus, cœtusque sanctorum gaudio fruitur ineffabili, Deumque intuetur de facie ad faciem. Nos verò in hac bellicosa & Martiali mundi ætate, in his conclamatis ultimis temporibus viventes, ubi nunc orbis terrarum, inprimis verò Germania universa bello ardet, tantùm funerum, tantùm luctus, tantùm lachrymarum, extinctas præterea artes, oppressas leges, obliteratam religionem, confusa divina, humanaque omnia, eversa insuper mœnia, compilatas domos, direpta fana, proculcatas segetes, abacta pecora, incensos passim vicos, ac villas, desertos agros, tot orbos senes, tot orphanos liberos, tot viduas matronas, universum, inquam, hoc malorum agmen, quod ex bello nascitur intuentes, bellorum rumores, tubarum clangores, perdentium, & pereuntium hostium clamores, telorum, & gladiorum fragores, terrificos boatus, & tonitrua

tor-

tormentorum exaudientes, semper cum fame hoste pesteque pugnantes, mortem optatissimum perfugium vitæ ærumnosæ sæpiculè cooptamus. Sed

- - - *dabit Deus his quoque finem.*

Ut igitur nunc receptui canam: Tu Beatissima DINNERI anima, VALE atque SALVE. SALVE inquam, ac postremum VALE: nos te loco, atque ordine, quo SUPREMUM NUMEN jusserit, sequentes, post fragilem caduci hujus corpusculi usum depositum, in magno illo censorio, & emortuali die per spem & virtutem resurrectionis futuræ revisuri sumus: Interim Beatissima animula VALE, VALE, VALE.

DIXI.

SCRIPTA.

Disputationes de Monetæ mutatione, quoad solutionem: *Norimb.* 1622. in 4.

Oratio de Natali altero Academiæ & Promulgatione Privilegiorum Doctoralium: *Altorph.* 1623. in 4.

Conclusiones tam contractuum, quàm contentionum obscurarum. *Stutgardiæ* 1659. in 4.

Fama Altorphina: *Norimb.* 1626. in 4.

Commentar. de justo rerum pretio definiendo & quatenus in eo circumvenire contrahentes liceat. *ibid.* 1622. 1647. & *Studgardiæ* 1661. in 4.

Oratio de Milite Vespertilione edita à Christophoro Ludov. Dietherro in Thesauro Practico Besoldiano p. 508.

Epistolæ ad varios & variorum ad Dinnerum extant unà cum Richterianis: *Norimb.* 1662. in 4.

Oratio in creatione quinque Doctorum juris habita: *Altorph.* 1623. in 4.

Ex Disputationibus seorsim publiceque habitis & istæ recensentur de Venatione: Ad Leg. diffamari: De Academiis: De Majestatis jure & privilegiis &c.

VITA
Magnifici, Amplissimi & Consultissimi Viri,
DN. HERMANNI VULTEJI, JCTI,
Comitis Palatini, S. Cæs. Majest. itemque Serenissimorum Hassiæ Principum Consiliarii, Academiæ Marpurgensis Pro-Cancellarii, Senioris & Profess. Primarii,

descripta

à

JOHANNE HENRICO DAUBERO. JCto.

HERMANNUS VULTEJUS, Vir inter literatos verè illustris & Jureconsultorum sui seculi facilè princeps natus est veteris Hassorum, oppido præclarorum ingeniorum & doctissimorum virorum ferace, anno 1555. decima sexta Decembris intra octavam & nonam matutinam, quo tempore Magnus ille Philippus Hassiæ Landgravius, Pater Patriæ & Religionis columen, Imperium & orbem nominis sui famâ replebat. Pater ei fuit *Iustus Vultejus*, Vir in politiore literatura, Philosophia & Linguis celebris, Professor Hebraicæ linguæ in Academia Marpurgensi, ac ibidem Pædagogearcha: Mater *Catharina Fettia*, Utrumque genus, paternum & maternum, inter suos præstantissimum In hoc viro omnia, quæ rarò conjuncta esse solent summa fuere, ingenium, memoria, judicium, sedulitas & justitia illa ἠκριτόλῳ, ut idea viri virtute æquè ac juris sapientiâ eminentes haberi possit. Quæcunque enim ad perfecti Jurisconsulti normam & decus requiruntur, sive ipsam legum juris scientiam spectes, quæ in eo fuit absoluta; sive subsidia ad jurisprudentiam necessaria, Philosophiæ fundamenta, utriusque linguæ Græcæ & Latinæ

tinæ notitiam, quam habuit perfectam; quin & historiarum & antiquitatis Græcæ Romanæque non ornamenta dicam, sed fulcra & pedamenta, quibus legum moles nititur & sustentatur; usum denique fori, quæ exactissimè, si quis unquam alias tenebat; omnia ista immenso cumulo ad necessitatem, utilitatem, ornatum possedisse illum satis compertum est. Studiorum ejus progressus celeres quidem, non præcoces tamen fuere. Quarto enim ætatis anno in Schola patria literis imbui cœpit, decimo quarto ad lectiones publicas Marpurgi admissus, decimo quinto Baccalaureus à Petro Nigidio Seniore Physices Professore renunciatus & decimo nono Philosophiæ Doctor, à Bernhardo Copio linguæ Græcæ Professore creatus fuit; ubi inter quatuordecim Philosophiæ Candidatos locum obtinuit secundum, cùm omnium judicio primus ei deberetur. Poterat ista obtinuisse citiùs, ni pater prudenter judicasset, studia maturiora præstare festinatis: Cujus & illud Consilium fuit, ut principia Philosophiæ sub se, & Petro Nigidio in Physicis, Victorino Schönfeldio in Mathesi, Copio in Græcis & Petro Nigidio juniore in Philosophia Practica ibidem hausta, Heidelbergæ in Academiâ omnium tùm temporis sub Friderico III. Electore, optimo & pientissimo Principe, celeberrimâ recoqueret, iisque inædificaret, ubi per triennium ferè integrum Professoribus clarissimis, Zachariæ Ursino in Physicis & Hebraicis, Lamberto Pithopæo in Arithmeticis & Astronomicis, Guilielmo Xylandro Organi Aristotelis Interpreti, Hermanno Vitekindo Græca docenti, Matthæo Lanojo Philosophiæ practicæ Enarratori, & Immanueli Tremellio Theologo insigni in Hebraicis, publicè & privatim operam dedit: quo tempore & Hieronymum Zanchium locos communes Theologicos tractantem audivit, ac per intervalla quoque Poësin excoluit. Juris studium non nisi post præclara in Jure divino jacta fundamenta & absolutum totius Philosophiæ præcipuarumque linguarum, quas linguas eruditorum vocant, cursum, qui totum quadriennium implevit, aggressus est: quod illi forsan mirabuntur, quibus ista ad civilia studia parùm conferre persuasum est, errore pernicioso & intolerabili. Nihil certè faciliùs fuisset Vultejo, tàm illustri prædito ingenio, si parciùs ista, nec tamen vulgariter degustare & legum Oceano statim se immergere voluisset, quàm anno ætatis decimo octavo, ut olim Nerva adolescens, quod

Ulpianus libro sexto ad Edictum refert, de jure publicè responsa dare. Verùm inani ista gloriola post habita, eam quam dixi viam ingressus est, florentibus tunc in Academia Hassiaca summis JCtis, Regnero Sixtino, Hermanno Lersnero & Nicolao Vigelio; privata Johannis Antrechti, sororij mox sui, institutione non parùm adjutus: Genevæ verò familiariter usus Francisco Hotomanno & Julio Pacio, (ubi & de difficillima Pactorum materia maximo cum Germanorum Gallorumque applausu disputavit & permissu Academiæ Collegium Institutionum, ut & Dialecticum & Oratorium aperuit) nec non Patavij Jacobo Menochio, Tiberiano Deciano, Cephalo & Soacio Jureconsultis præstantissimis, vastum illud Juris utriusque pelagus feliciter emensus, ac peragrata Gallia & Italia, Academijsque & scholis Bononiensi, Senensi, Pisana, Romana, Neapolitana, Taurinensi, Ticinensi, Argentoratensi, Dolana & alijs plurimis per lustratis, anno ætatis vicesimo quarto in Academia Basileensi summos in utroque jure honores diis hominibusque plaudentibus petijt & obtinuit. In patriam reverso illico defertur Professio linguæ Græcæ, anno sequenti Academiæ Syndicatus; mox & Professio Institutionum Juris Civilis, & non totis decem annis interjectis Celeberrimo Sixtino, ex Academia in aulam à MAURITIO Hassiæ Landgravio attracto & in Consilio secretiore Reipublicæ gubernaculis admoto, in primaria Juris Professione successit: in qua statione inprimis, velut in sublimi gloriæ theatro, mirificè emicuerunt splendida & divina illa dona, quæ Vir Magnus à natura æquè ac ab arte habebat. Versatissimus erat, ut dixi, præter Philosophiæ & variarum linguarum decora, in literatura politiore, in Historia item & Antiquitate Græca & Latina, sine quibus ad juris fastigium non ascenditur: his Vir judiciosissimus in difficillimarum legum interpretationibus adeò dextrè uti norat, ut doctissimis quibusque non immeritò palmam præripere crederetur. Ac docebat tanta fama, tantaque omnium æstimatione, ut ex omnibus Europæ partibus studiosi ad eum audiendum accurrerent. Nec mirum: cùm divinum ejus ingenium, memoria felicissima, eloquentia incredibilis, singulare judicij acumen, summæ eruditionis copia, methodus exquisita; tùm ejus dexteritas in interpretando, sagacitas in conjectando, promptitudo & soliditas in disputando & respondendo, felicitas in perorando omnibus ad-

mirationi

mirationi essent. Ac famam, quam alias præsentia minuere solet, augebat actio nobilis, spiritus & animi plena, & vox illa grata simul & mascula atque sonora, quæ potentissima rationum momenta, quacunque de re dissereret, ex profundissimæ eruditionis abysso eruta promptissima facundia provehens & fulminis instar in aures & animos auditorum penetrans, vi quadam inevitabili vel à reluctantibus assensum extorquebat. Et sæpe illa studiosorum, qui eum ut patrem venerabantur, excepta vox, se Vultejum tonantem auditum ire. Magnæ quidem hæ laudes, sed inferiores forsan re ipsa. Qui virum noverunt, sciunt aliquid in ipso fuisse, sublime & insolitum, quod vix expresseris. Nec minor erat in Curia. Sive enim in Dicasterio Hassiaco, quod Marpurgi est, in quo à legitima ferè ætate ad extremam usque senectam integerrimus Senator assedit, jus diceret; sive Facultatis suæ nomine responsa conciperet; sive denique solus consultus Regibus, Principibus, civitatibus, privatis, de jure responderet; summam ubique æquitatem non minùs, quàm exactissimam praxeos peritiam & sic verè se Juris Consultum ostendit. Ego certè præcipuum ejus decus hoc puto, quòd juris & legum cognitionem exquisitissimam, cum moribus & usu tàm feliciter, ut nemo feliciùs, conjunxerit: eoque majus illud, quò rarius est vel præcellere in Theoria, vel eminere in praxi, cùm hic in utroque ad stuporem usque excelleret. Quod doctissima ejus scripta, felici manu & eloquenti stylo exarata, Commentarius in Institutiones, Jurisprudentia Romana, Tractatus de feudis, Disceptationes scholasticæ, Commentarius in Cod. de jurisdictione, tot ejus Consilia & Responsa, quæ in Consiliorum Marpurgensium tomis magno numero hinc inde refulgent, & alia abunde testantur; inter quæ hoc de Judicijs opus posthumum, quo in hoc scriptionis genere nihil præcellentius, nihil practicis æquè ac studiosis utilius unquam in lucem prodiit, haut postremum locum obtinere debet. Ac plura edidisset Vir diligentissimus & de Republica literaria indesinenter bene mereri cupiens, nî innumera negotia obstitissent, quæ paucissimas ei horas meditationi & scriptioni impendendas relinquebant. Erat enim ipse totius Germanicæ civitatis oraculum, ejusque domus justitiæ ara & æquitatis delubrum; quò quicquid in Imperio fatigatum vel oppressum, confugiebat sciscitatum de jure, quo se & penates ab injuria defenderet: quin & extra Im-

perij pomœria de rebus arduis & intricatissimis ad ipsum relatum scimus. Neque privatorum tantùm jura, sed & publica tractavit, varijsque legationibus non minùs quàm cæteris vitæ actionibus eum inclaruisse constat. Quantus verò esset Vultejus & haberetur, Regum, Principum & Academiarum, certatim eum lautissimis stipendijs ad se evocantium & attrahere summa ope nitentium, studia testantur. Dux Johannes Casimirus, Comes Palatinus Cancellariatum ipsi adhuc juveni & trigesimum secundum ætatis annum vix egresso obtulit. Sub idem ferè tempus Academia Heidelbergensis ipsum Hippolito à Collibus successorem destinavit: eademque non multo pòst, cùm discessisset Pacius, Professionem ei primariam, si impetrari posset, decrevit. Aliquoties tentatus, ut Cassellis à latere Principis Guilielmi Consiliarij munere fungeretur, id semper egit, ne vocatio ad se perveniret. A Duce quoque Brunsvicensi officio Consiliarij & primariæ Juris Cathedræ in Academia Helmstadiensi Johanni Borcholten successor destinatus: Similiter à Rostochiensibus ad Syndicatum Urbis & Professionem in Academiâ desideratus. Sed & à Rege Daniæ, an Cancellarij munus ad res Germanicas dirigendas in Regno suscipere vellet, novimus solicitatum. Quas vocationes omnes gratijs actis recusavit constanter: in fatis enim erat, propitio Hassiæ genio favente & benignè ita disponente, ut patria ejus & natale solum, cui præ cæteris nos plurimum debere naturæ lex est, propinquo sideris hujus, cui ortum dederat, splendore usque ad ejus occasum illuminaretur. Procancellariatum verò Academiæ patriæ, resignante Amplissimo Lersnero, à Principe Mauritio sibi delatum suscepit & gessit. Suscepit & simul munus Consiliarij Suecici ad res Germanicas, à Sueciæ Rege honorifico stipendio ei oblatum. Denique & in numerum Assessorum supremi Hassiæ Senatus Ecclesiastici, eodem Principe MAURITIO volente & tantùm non jubente, se quamvis invitum cooptari passus est. Magni fiebat in ipso & hoc inprimis, quòd tot tantasque dotes prorsus extraordinarias singularis planè & rara modestia comitaretur: quæ tanta, ut nec læsus ad vindictam prosiliret, nec de æmulis, à quibus aliquando immeritò traduci se audierat, per honorificè loqui non desineret. Aliorum insultationes, eorum inprimis, qui cùm discipuli ejus fuissent, cum ipso congrediendi & hac ratione inclarescendi occasionem

sionem quærebant, contemptu & silentio vindicabat. Nobilitatem familiæ suæ intulit decimo ante obitum anno, quo FERDINANDUS II. Romanorum Imperator proprio motu ipsum Sacri Palatij Comitivâ strenæ loco decoravit; nec minùs Equestris dignitatis ac Consiliarij Cæsarei ἀξίωμα per Dominum à Stralendorff Imperij Pro-cancellarium ei multùm reluctanti obtulit. Fuit staturâ mediocri, corpore sat bene compacto, firmis lateribus, habitu corporis gravi & decoro, acie oculorum vegetâ, facie valetudinis nunciâ, quâ sat prosperâ ad extrema usq; vitæ tempora usus est. Cæterà humanissimus erga omnes & ab omni fastu alienus, & qui dignitatem loci, quem obtinebat, comitate potiùs quàm supercilio tuendam arbitraretur. Fratres habuit duos, Johannem & Christophorum; quorum ille Rakersburgi Archiater Archi-Ducis Austriæ, hic Haderslebiæ Regis Daniæ in Juttiâ Consiliarius decessit: & sororem unicam, Johanni Antrechto, Hassiæ olim Cancellario, cujus & suprà memini, nuptam. Ex unico matrimonio cum Adelheide, Wigandi Happelij JCti & Professoris Marpurg. filia unica, lectissima fœmina, suscepit liberos tredecim, quorum sex filij & duæ filiæ ante patrem diem clauserunt. Superstites post se reliquit Johan. Christophorum, Consiliarium Hassiacum, jam cœlitem; & Johannem Vultejum, innumeris illustribus legationibus pro patriæ salute calamitosis & periculosissimis temporibus exantlatis jam antè nobilissimum, & ad nuperos tractatus pacis Monasteriensis & Osnabrugensis cum alijs quibusdam ex præcipuis Serenissimæ Celsitudinis suæ Ministris cum plenâ potestate Legatum, insignium meritorum, doctrinæ & virtutis patrocinio, ad Hassiæ nunc Cancellariatum evectum: tres item filias, unam Christophoro Deichmanno, Pandectarum tunc in Academia Marpurgensi Professori, pòst Cancellario Lippiaco, mox Suecorum Regis in Circulo Westphalico Legato ordinario, & tandem Ducis Megapolitani Cancellario & Residenti Hassiaco nuptam; alteram Hieronymo Cottichio, Consil. Wiedensi & Saynensi, mox Generali Commissario Suecico & Principi Auraico à consilijs elocatam; & tertiam Johanni Pfreundio, Principi & Abbatissæ Hervordiensi à consilijs, ejusque Cancellariæ Directori nuptum datam: ex quibus multos nepotes neptesque non sine gaudio singulari vidit. Quarto ante excessum

cessum suum mense, jubileum conjugii quinquagenarii solenne, ita volente Principe Georgio Hassiæ Landgravio, celebravit, cùm eodem actu neptem ex filiâ Conrado Balthasari Pichtelio JCto desponderi vidisset. Obiit Vir pientissimus morte placidâ, trigesimâ primâ Julii, anno Christi 1634. ætatis 79. Professionis 55. matrimonii 53. Assessoratus in Dicasterio summo 54. & Procancellariatus 29. nec tamen esse desiit. Vivit adhuc per gloriam, nec vivere unquam desinet: Hassiæ decus & Germaniæ, quin totius Europæ, immortale ornamentum.

In Imaginem

Consummatissimi JCti

HERMANNI VULTEJI.

Cernere VULTEJUM *vultis? datur ecce potestas!*
Maximum in hoc tenui cernitis ære Virum.

SCRIPTA.

Expositio XVI. posteriorum tit. libri II. Institutionum: *Francon.* 1586. in 8.

Oratio de vita & morte Guilielmi Hassiæ Landgravii: *Marpurgi* 1592. in 4.

Commentarius in titulos Codicis de Jurisdictione & foro competenti: *Francof.* 1590. 1630. in 8.

Disceptationum juris scholasticorum liber unus: *Marpurgi* 1584. 1594. 1608. 1618. in 8.

In Guerrinum Pisonem de Feudis: *VVittenb.* 1598. in 8.

Exegesis. summa juris, quod est de Feudis capita continens: *Marpurgi* 1595. 1617. *Francof.* 1629. in 8.

Oratio de vita & obitu Ludovici, Senioris, Hassiæ Landgravii: *ibid.* 1604. in 4.

Jurisprudentia Romana: *Marpurgi* 1590. 1614. 1620. 1628. & cum Annotationibus Winckelmanni *Hanoviæ* 1652. in 8.

Commentarii in IV. libros Institutionum Civilium: *Marpurgi* 1605. 1610. 1630. in 4.

Idea juris: *VVitteb.* 1613. in 8.

Consilia sive Responsa Doctorum & Professorum Facultatis juridicæ in Academia Marpurgensi, in IV, Volumina distributa: *Marpurgi* 1611. *Francof.* 1631. 1652. in fol.

Tra-

Tractatus tres 1. Idea juris Logica 2. Diatribe de causis juris Constituentibus 3. Expositio XVI posteriorum tit. lib. 2. Institutionum, ad ultimas voluntates pertinentium: *VVitteb.* 1613. in 8.

De Feudis eorumque jure libri duo: *Marpurg.* 1609. 1617. *Francof.* 1629. in 8.

Tractatus de judiciis in libros IV. divisus: *Cassellis* 1654. in 4.

Disp. de jure dotium.

PROGRAMMA

In funere

Viri Clarissimi & Excellentissimi,

DN. GEORGII SCHULTZII,

J. U. D. Facultatis Juridicæ in Academiæ Wittebergensi Assessoris, Curiæ Provincialis Electoratus Saxon. Advocati & Practici, nec non Illustriss. & Generosiss. Comitum Barbiensium quondam Cancellarii & Consiliarii meritissimi,

Propositum,

à

RECTORE ACADEMIÆ WITTEBERG.

M. REINHOLDO FRANCKENBERGERO, Histor. Prof. Publ.

SImonideum præceptum est, ne quis quam temere de futuris pronunciet, cum nati simus homines: Sed nec cum alterum videat, quam diu victurus

ὠκεῖα γὰρ ὐτὲ τανυπτερύγυ μυῖας
ὥτως ἀμείψασις.

Nam sicut muscæ, ait, se movent celeriter ac avolant, ita repentinæ sunt vices mortalium, & levi casu commutantur. Quotumquemq; latet, Amplissimum Virum GEORGIUM SCHUL-

SCHULTZIUM J. U. D. eximium paucis diebus ante obijsse strenue officij partes, firmum, validum, & sibi recte constantem; qui nunc in capulo positas, exequias & funus à nobis expectat? Adeo vix trochus ullus aut turbem velocius vertitur, quam vita hominis: quæ instar vitri, cum maxime splendet; frangitur, & tum præcipuè ostendit, quod fuit. Tamen plerumque sic vivimus, has cogitationes capimus homines, quasi duraturi in longum & morituri vix unquam simus: Cum satis certe sibi polliceri aliquis nec crastinum queat. Sed nec miserius quicquam homine, nec superbius est. Cæterum vitam humanam æqua lance pensitabit, qui suæ fragilitatis semper fuerit memor. Natus est noster Leobergæ in Silesia anno à CHRISTO nato cIↄ Iↄ XCIX. M. Septembri. Patrem habuit GEORGIUM SCHULZIUM, ejus civitatis consulem. Virum prudentia atque virtute insignem: matrem REGINAM FROBIAM, & generis & pietatis laude cumprimis præstantem. Puer in Schola patria literas hausit celeriter, ut erat ingenio docili & ad ingenuas & liberales artes apto cumprimis. Quibus cum imbutus satis videretur, in Academiam nostram missus est anno cIↄ Iↄ CXVI. ut Juri Civili operam daret. In quo studiorum genere ea industria ac diligentia versatus est, ut anno cIↄ Iↄ CXXIV. d. XVII. Februarij à magni nominis Jurisconsulto BARTHOLOMÆO REUSNERO, Ordin. ejus Collegij & Seniore, cum singulari sua laude utriusque Juris Doctor creatus solenniter & pronunciatus fuerit. Qui cum deinceps doctrinæ atque ingenij præclara quotidie documenta dedisset, factum est, ut sequenti anno in JCtorum Ordinem (cujus Decanatum semel administravit) & postea inter Electoralis curiæ, quæ hic est, Advocatos adscriptus fuerit. Quas partes suas qua respondendo de Jure, qua consulendo, ita administravit ac gessit hactenus, ut magnam prudentiæ pariter & integritatis laudem consequeretur. Quo & evenit, ut non tantum Illustres Comit. de Barby hunc sibi potiss. Consiliarium primo, deinde Cancellar. etiam legerent: sed & Amplissimo JCtorum Collegium non semel dignum judicarit, cui Professio Juris publica, si Electori Serenissimo ita visum, committeretur. Nempe latere virtus non potest: emicat, erumpit; & nisi ipsa sibi deest, plerunq; invenit, qui provehant ac ament. Conjugem duxit, MARIAM MAGDALENAM, Amplissimi Viri BARTHOLOM. REUSNERI, cujus paulò ante honoris gratia meminimus, filiam:

[illegible]

ac eo ipso quidem die, quo Gradum, quem vocant, consecutus est. Cum hac suavissime hactenus & conjunctissime vixit sine omni querela & ex ea suscepit liberos quinque filiolos duos & tres filiolas. Ex illis BORTHOLOMÆUS; ex istis sola MARIA MAGDALENA superat: reliqui jam olim diem suum obierunt. Nudius quintus sub Vespertinum diei tempus periculosissimi morbi genere correptus est. Ac licet auxilia Medicorum mature adhiberentur, nihil tamen infringi aut tolli potuit malum, & incrementa semper cepit. Unde contingere fuit necesse, oppeteret mortem & digrederetur vita, quod heri quidem circa undecimam meridianam evenit. Præclare quidem consuluit Deus humano generi, inventus tot rebus, quæ ægritudines morborum levent atque depellant: sed suus cuique fixus terminus est: ad quem simul provecti sumus, nihil omnino humanæ artes, nihil herbarum virtutes possunt. Exeundum de vita est, & ire oportet, quo evocat nos, qui ducit omnia & regit Deus. Id itaque danda assidue opera, ut in procinctu semper stemus, & prompte sequi possimus ubi conclamatum ad vasa. Quod & SCHULZIUS noster studuit ac ita se comparavit ad exitum, ut plenus fidei & spei in Servatorem unicum discederet. Cum quo conjunctus nunc immortalem vitam agit, procul omni sollicitudine ac metu, quibus nos hac turbatissimâ tempestate momentis singulis circumagimur & exercemur miserè, ignari futurorum, quæ nobis impendent. Quocirca Deum precamur ut vertat omnia in melius & afflictissimam viduam soletur non tantùm ac erigat; sed & clementer conservet: ut defuncta periculo, in quo versatur, educere parvulos ad paternæ virtutis exemplum possit. Vos autem monemus, Cives Academici, ut ad horam I. postea venitatis exequias, & habita concione funebri solemnia sepulturæ præsentiâ vestrâ cohonestetis. Nec grave cuiquam existimamus futurum hoc genus officii Amplissimo Viro exhibere. Procedet pompa ex ædibus Rhodianis: quod adhuc monendum erat. P. P. ad d. VI. Octobris anno recuperatæ gratiæ cIↄ Iↄ CXXXIV.

EPITAPHIUM.

SUB. HOC. MONUMENTO. QVIESCIT.
VIR. CLARISSIMUS. ATQVE. EXCELLENTISS.
DN. GEORGIUS. SCHULTZIUS.
LEORINUS. SILESIUS.
U. J. D. FACULTATIS. JURID. ASSESSOR.
CURIÆ.

CURIÆ. PROVINCIALIS. ELECTOR.
SAXON. ADVOCATUS. ET. PRACTICUS.
NEC. NON. ILLUSTRISS. ET. GENEROSISS.
COMITUM. BARBIENSIUM. QVONDAM.
CANCELLARIUS.
ET. CONSILIARIUS.
QVI. NATUS. EST. LEOBERGÆ. IN. SILESIA.
ANNO. A. NATO. CHRISTO. M. D. XCIX.
D. II. SEPTEMB.
MORTUUS. VERO. D. V. OCTOBR. WITTEB.
AN. M. DC. XXXIV.

SCRIPTA.

Synopsis Institutionum cum tit. de Verborum Significatione, & diversis regulis juris antiqui: *VVitteb.* 1628. 1630. 1648. in 12. aucta ab Adr. Beiero: *ib.* 1660. in 12. *Lipsiæ* 1655. in 8. *Heidelb.* 1660. in 8.

Paratitla Constitutionum Electorum Saxoniæ: *ibid.* 1630. in 12.

Synopsis judiciaria ex jure novo, quo hodie in Imperio Romano-Germanico utimur, nec non receptis in foro opinionibus desumpta: *ibid.* 1630. in 12.

Synopsis Juris Feudalis Romani Germ. Imperij: *ib.* 1631. in 12. *Ienæ* 1664. in 8.

Processus judiciarius: *ibid.* in 4.

Processus judiciarij Pars prima: *ib.* 1634. in 8.

Tractatus de Oblatione, Obsignatione ac Depositione pecuniæ seu rei debitæ: *ibid.* 1632. in 12.

Arboris Consanguinitatis & Affinitatis expositio: *ibidem* 1633. 1643. in 12.

MEMO-

MEMORIA

Conjunctissimi JCtorum Paris,

DN. CASPARI BITSCHIO,

Collegii JCtorum in Academia Argentoratensi Senioris itemque Ecclesiæ Collegiatæ ad D. Thomam Præpositi gravissimi.

tum

DN. GEORGII DAVIDIS LOCAMERI, JCti,

& Pandectarum Professoris celeberrimi:

Ob vitæ, fortunæque, atque exitus penè parilem ordinem atque decursum.

Suasu nonnullorum Collegarum, *unâ Oratione* parentali repræsentata,

Argentorati

In Auditorio solemni, 21. Septembris 1637.

à

JOHAN-OTTONE TABORE,

U. J. D. PP. & in Senioratu successore: postea diversorum Imperii Principum & Statuum Consiliario, Cancellariæ Gustroviensis Directore; denique Academiæ Giessensis Cancellario; hodiè emerito & rude donato.

PONTIUS *Casa Mirambellus*, vir non animi solùm robore, & rei militaris usu atque prudentiâ, inter superioris ævi Duces conspicuus; sed & literis ad elegantiam excultus, præterea magna consiliorum consensione cum Ulysse illo

M Franco-

Francorum, Lanovio, conjunctus; cùm Anno 1547. in Sanctonibus insidiosò sclopeti ictu prostratus, à suis sepulturæ jam mandandus esset, hoc sibi cygneò carmine, in caligis repertò, parentasse deprehensus fuit:

Desine migrantem lugere, Viator & hospes;
Non careo patriâ, me caret illa magis.

Inciderat vir fortissimus in ea tempora, quibus omnia Civilibus bellis loca perstrepebant, ubi nulla fides in pactis, nulla spes in sincerationibus, promissa omnia Lunæ Laconicæ; nec sacrum quicquam aut intactum à petulantia militis rèlinquebatur. Itaque præsentia fastidiens, ad futura nauseans, fatique præsagus, sine dolore ex ista, & cum alacritate ad meliorem se patriam transire testatur, nullis caritatibus obnoxius, nisi quas Galliæ, tantas virtutes tum negligenti, aliquando desideraturæ, gemens imputabat.

Subiit istius lemmatis recordatio animum, cum superioribus diebus Venerandum Universitatis Academicæ Consilium mihi hanc provinciam injungeret, ut Viris juris utriusque peritissimis, *Casparo Bitschio*, & *Georgio Davidi Locamero*, non tantùm inclutæ hujus studiorum Universitatis Antecessoribus clarissimis; sed (præfiscæ nè) Germaniæ in Germana Jurisprudentia nuper luminibus, justa facerem, quod iniquum videretur, istos justitiæ sacerdotes exequiarum justitiâ fraudari, & honore parentationis diutiùs carere.

Quanquam enim jam inde ab *Numa* parentalium dies cognatorum in feriis institutus, nec quicquam sanctius superstitum reverentiâ habitum fuerit, quàm ut amissorum venerabiliter recordarentur; præthereà multa sint, quæ eximios illos viros diutissimè nobis desiderabiles efficiant: summam intelligo eruditionem, cum insigni pietate, vitæ innocentiâ & morum suavitate conjunctam, studium deinde indefessum, ac prudentiam maturam. His tamen omnibus egere nos magis, quàm laude nostrâ illos gaudere & delectari, verisimile sit, utpote exemtos huic isti seculo, quo nullum virtuti pretium superest, nullus honor, ac ne spes quidem eluctandi positis in contubernio egestatis, ut Poëtæ loqui amant, solvi nesciente. Ac si bene sensa virtutis, dotes suas contemtuque cogitantis, sive in historia temporum, sive in vultu & sermonibus virorum illorum laudatissimorum conjicio; haud dubiè illa, Nemesin quandoque

doque induta, Germaniæ noſtræ tot meritis ſola verborum inania rependenti, pro clientibus ſuis, jam ſerò nimis deſideratis, replicatura eſt eandem cantilenam, quâ olim *Iacobus Cujacius Tholoſas* adverſus Civium ſupinitatem, contemtumque ſui vindicavit. Cùm enim is *Stephano Forcatulo*, faceto magis, quàm prudenti Juris Doctori, in Cathedræ petitione poſthabitus; (vide *Mornacium ad l. ult. C. de jure Emphyteut.* ibi: *Pudor equidem Palladiæ Tholoſa, antepoſitum olim in ſchola ita celebri tam ineptum ardelionem incomparabili ſuo Cujacio.* Confer *Papir. Maſſon. in vita Cujac. oper. præfix.*) deinde verò, cùm *Michaele Hoſpitalio*, viro magno & exellentium ingeniorum ſagaciſſimo æſtimatore, *Biturgium* ſcholæ præfectus, omnium hominum expectationem longiſſimè ſuperaſſet, à *Tholoſanis*, errorem ſuum ſerius agnoſcentibus, repetitus fuiſſet, pauca hæc animoſa brevitate repoſuit.

Senatui P. Q. Tholoſano
Iacobus Cujacius S. P. D.
Fruſtra abſentem requiritis, quem præſentem neglexiſtis.
Valete.

Conf. not. Anton. Mercatoris ad lib. 1. animadverſ. Ioh. Roberti cap. 30. p. 489.

Tametſi enim magnanimi Reipub. hujus proceres, & Curatores Univerſitatis Nobiliſſimi, poſt divini cultus cuſtodiam nullas potiores curas habent aut antiquiores, quàm ut viris egregiis commodè proſpiciatur. Tanta tamen ſeculi hujus eſt calamitas, ut nulla quantumvis providentiſſimi atque pientiſſimi Magiſtratus ſolicitudo ſufficere poſſit ingruentibus undiquaque neceſſitatibus, dum Mars & Bellona, jurati Muſarum hoſtes, ferrô flammaque latè omnia Sicelidum delubra, unà cum bonis atque prædiis, à provida antiquitate Muſis ſacratis, depopulentur ac tantùm non exterminium illis minitentur.

Atqui fruſtra interim Anteceſſores noſtros lugere videbimur, abſentes jam & exules cum lubentia, nec niſi cum faſtidio ad nos reſpicientes. Qui enim ſe olim præſentes neglectim habitos queri poſſunt, abſentes deſiderati fortè ridebunt; inenarrabilibus agni nuptiis & tripudiis jam adhibiti, & iis honoribus atque opibus aucti, quas mortalium conditio non fert, nec cuiquam fortuna ſublunaris poteſt conferre. Atque adeò vereor, ne præpoſteras iſtas mundi laudationes ex philoſophia *Auguſtini lib. 5. de Civit. DEI, c. 14.* totas pro immundis & inficetis habituri ſint.

Enim verò cum inter vera gratitudinis præconia, & simulata officiorum inania, discrimen ingens pateat: quod *Ausonius in Exordio Parentalium suorum* (quo paulò post usurus sum) nervosè expressit: Nec reprehendantur desideria eorum, qui amicos suos boni publici aut salutis causâ recedere à se navi prospiciunt, utcunque reditum intempestivum ne cupere quidem sine verecundia, aut profiteri sine opprobrio possint: Dubitandum nobis amplius non est, quin debeamus; sed curandum magis, quibus possimus honoribus venerari sapientum nomina, & quâ religionis pietate liceat erga illorum monumenta defungi animis non ingratis.

Iul. Cas. Scalig. Exerc. 148. *s.* 7. *Pluth. in Cat. Major.* *Cato Censorius* fertur adolescentem valde laudasse, quod defuncti patris inimicum involvisset infamiâ, itaque peracto judicio in foro ambulantem amplexum fuisse, & gratulabundo ore jactasse: Ita parentibus parentandum esse. Hanc sententiam ab excessu gentilis iracundiæ, in vindictam nimis pronæ, vindicabimus, moderata ad Christi legem & mansuetudinem sententiâ pronuntiantes: Ita bene meritis parentandum esse, ut egregiè facta posteritati imitanda proponantur. Eò nim. fine Veteres majorum suorum imagines disponebant in atriis: Alii præceptorum icones locabant in Larariis, ut essent non tam incitamenta luctus, quàm monumenta gratitudinis, & ad calcanda virtutis fastigia illecebræ.

Hoc itaque cum omnino agendum esset, non potui satis demirari Amplissimi senatus Academici judicium, quod eam parentandi provinciam commiserit homini artis dicendi imperitissimo, qui vix ullo anni tempore Orationem legere, nedum scribere queat; sed totam ætatem in barbaris *Bartholi* lacunis, aut actis forensibus expediendis insumere cogatur: Cum eam spartam longe rectius ornatus fuisset, quem vota omnium Professorum & Magnifici Magistratus suffragia munere Professoris eloquentiæ non ita pridem ornarunt: cujus præclara indoles veterum Majestatem non inficiando emblemate exprimit, & Academiæ nostræ huicque adeò Cathedræ alium *Sturmium* pollicetur.

Tametsi enim ἄτοπον olim fuerit atque pudendum JCto, infantiam suam aut dicendi imperitiam causari: cum Hermathena ipsa cum toto suo pedissequio & comitatu sit de familia Themidis, & hujus Cultores, nimium, quantum illius usi fuerint familiariter consortio: Quomodo è nostris

ſtris *Cœlius Antipater* parùm honeſtè audit apud *Pomponium*, quod plus eloquentiæ operam dederit, quàm ſcientiæ juris. (Quæ utinam querela hodieque non in complures eorum, qui titulo JCtorum ſuperbiunt, cætera mera Germanæ tolutiloquentiæ referunt tintinabula, quadraret !) *l. 2. §. 40. ff. de O. I.*

Ex quo tamen Jurisprudentia è Latio ſive profligata, ſive profuga in Tranſalpinorum manus incidit, longe inverſa rerum facies & ſtylus Curiæ è puriſſima latinitate in impuriſſimam barbariem converſus, qua linguâ vel imbuenda eſt, vel ab iſta Themidos aula planè abſtinendum : Unde contingere ſolet, ut æque rideant declamatores Latinos, Pragmatici, quam hi nulla laterum contentione iſtis perſuadere poſſunt. ut elegantiam in ipſorum ſermone agnoſcant.

Quibus ſanè de cauſis optaſſem ego, rem ipſam tantiſper dilatam fuiſſe, dum per occaſionem promotionum Doctoralium, (quibus ut aliorum Collegiorum Juridicorum uſu, ita ex noſtri quoque hactenus ſervata conſuetudine, declamationes iſtæ ſeponuntur) Viris optimè de me meritis *τὰ νομιζόμενα* exſolverem, & impeditæ ſimul ſermocinationis vitia contegerem.

Quia tamen juſtis ſuperiorum Imperiis meritò omnes voluntates noſtras permittimus ; hoc quoque officium, quod omnino præſtiturus eram, licet aliqua cum exiſtitionis jactura, ſimulatque per domeſticarum calamitatum intercalationes & curas alias magis prementes licuit, ſuſcepi, hoc ipſo me apud bonos facilè excuſaturus, quod non Oratoris, per jactantiam ; ſed narratoris, per neceſſitudinem, officium ſuſceperim. Quod ſi nonnulli ex ſcriptoribus Romanorum antiquioribus, ut *Pictor, Piſo, Cato, Fannius, Vennonius* & ipſe, quem dixi, *Cœlius Antipater*, nihiloſecius laudem aliquam meruerunt, quod non exornatores rerum, ſed narratores ſaltem fidi extiterunt : Non utique probroſum iſtud mihi apud bonos fore ſpero, ſi alterius ſcholæ ſtudiis diſtentus, veritatem ſine ullis lenociniis aut verborum pigmentis tenui tantùm narrationis velo involutam, per lineamenta certiſſima oſtendero. Id verò dum facere allaboro, quia inquam audeo

Nomina doctorum jam condita funere juſto,
Fleta prius lachrymis, nunc memorare modis,
Nuda ſine ornatu, ſandique carentia cultu,
Cum tumulis purus ſit honor iſte ſatis.

bus functionibus magna cum dexteritatis laude per annos 33. præfuit, Anno demum 1585. mense Majo in *Domino* defunctus.)

Jacturam egregii viri hujus resarcivit sedula Dnn. Scholarcharum ejus temporis circumspectio, honestis conditionibus ad Professionem Juris in hac Schola suscipiendam invitato JCto celeberrimo, *Francisco Balduino*, Atrebatensi: qui tùm in juventute præclaram adeò eruditionis famam sparserat, ut à *Biturigibus* ad docendi munus pollucibili auctoramento conduceretur, & à Collega suo *Eguinario Barone*, Doctoralibus insignibus ornatus, & alterius famosissimi Collegæ, *Francisci Duareni*, consortio adhibitus. Enim verò, cum ibi locorum religionis reformatæ cultores in periculo essent, ipse post septennium, à suscepta professione numerandum, ad nos exulatum venit, & gratum hic suis studiis latibulum invenit: Cùm interim cathedram, ab ipso relictam *Iacobus Cujacius* eò, quo dicere occupavi, ordine obtinuisset. *Balduinus* autem inter alia libellum Christianorum Jure Consultorum nomine contra *Duarenum* scripsit. (vid. *Melch. Adamus in vita ejus, p. 202.*) Cæterùm sive ex ea, quam *I. A. Thuanus, in dedicatoria historiarum suarum epistola*, & *Theodorus Beza in suo Eubolo* commemorat, sive ex alia quacunque causa, relictâ paulò post & nostrâ, & in quam postea transierat, *Heidelbergensi* Academiâ, in Galliam reversus, Regi Navarræo) Henrici IV. parenti, Ludovici justi avo) à consiliis fuit secretioribus, & in præcipuis aulæ dignitatibus Lutetiæ obiit, annos natus 53, *epochâ* 1573. quâ ipsâ Cracoviensi Academiæ instaurandæ destinatus & designatus erat. (vid. *Thuan libr. 57. histor. p.* 967)

Collegam iste & successorem habuit non minoris commatis & nominis JCtum, *Franciscum Hottomannum*, familiâ Quadorum Nobili, patre senatore Parisiensi progenitum, & honestis à pueritia studiis excultum, qui primum *Lausanna* in Helvetiâ, quo Anno 1548. è patria religionis persecutionem effugiens pervenerat, Eloquentiam, deinde ab Anno 1551. Jurisprudentiam quoque in hac Cathedra docuit, unde Commentaria Institutionum Augusto, Saxoniæ Electori serenissimo nuncupavit. In Capitulo quoque Thomano *Petro Martyri*, Tigurum vocato successit, & in statione ista ad *annum* usque 1561. perstitit, quo in patriam rediens, licet à diversis Principibus, veluti ab Alberto Seniore

vid. P. Nevel Doschium in elog. Hottom. præmisso tomo 1. oper. ejus.

niore Borussiæ Duce, Landgravijs Hassiæ, Ducibus Saxoniæ, Elisabetha, Britanniæ Regina, aliò vocaretur.) Canonicatum hic suum Amplissimis Dnn. Scholarchis (quorum beneficiô singulari eum tenuerat) resignavit. Quas ego minutias eò libentiùs annoto, quòd ea tenuia fortè; at verò in laudem Cathedræ hujus vergentia, in vitæ ejus descriptione à *Thuano lib.* 99. alijsque sunt prætermissa.

Circa eadem tempora simile superioribus perfugij asylum in hac urbe habuit *Petrus Carpentarius* Tholosanus; & ferè eâdem tempestate *Philippus Custosius*, Francovillanus, (vulgò, *Mons. de la Garde*,) quorum ille Jus Civile aliquando *Genevæ*; tum deinde in hac Academia professus, sed opimis Bellevræi conditionibus in Galliam revocatus, & beneficio ejus ad amplas dignitates evectus fuit; Quanquam ob tepidum in religionis negotio animum sensumque, ab utraque & Protestantium & Pontificiorum secta vapulet. [teste *Thuanô lib.* 53. *pag.* 844.] Iste verò itidem paucis annis in hac Schola transactis ad Musas Aurelianenses transijt.

Succenturiatus istis *Georgius Nesselius* Argentoratensis haud quaquam diutiùs Auditorio præfuit, *anno* 1561. (20. *Novembr.*) electus: at 63. (23. *Martij*) defunctus; professionem Scholæ cum possessione cœli commutans.

Ob isthanc mutationum frequentiam, & quia circa eadem tempora, h. e. *anno* 1566. Academia eximijs à D. Maximiliano II. ornata esset privilegijs, subinde alij & plures numerô Professores conducti aut assumpti sunt: è quibus maximè diuturnus & vivacissimus fuit *Laurentius Tuppius*, Gryphisvvaldensis Pomeranus, Spirâ, ubi *anno* 1563. praxeos cognoscendæ causâ degebat, (postquam in præcipuis Galliæ & Germaniæ Academijs insignem Juris scientiam assecutus esset) evocatus. Hic, cùm aliquot annos Institutiones explicâsset, *Custosio* adhuc Pandectarum volumina pandenti, cùm is circa *annum* 1572. in Galliam reverteretur, in explicatione Pandectarum successit; quam Professionem ad finem usque vitæ tenuit: spartâ Institutionum ornandarum interim translatâ in *Huberum Giphanium*, *Buranum Geldrum*: De cujus ingenio moribus & eruditione, dum in hac Schola esset, *Iohannis Sturmij*, tale exstat judicium, (*anno* 1582.) *d.* 7. *Decembr.* ad Collegium Thomanum perscriptum: *In promovendo ad ædes Capitulares*

Giphanio

Giphanio temporis maximè rationem habui, quod post illam publicorum auditorum atque etiam Classicorum aliquam discessionem cupio Giphanium retinere: cujus discessu fieret, ut pleriq; omnes Nobiles & Iuris Studiosi discederent: Habui etiam rationem meritorum, quòd diu meritus est & Schola militavit, cum laude nostra & sua. Habui etiam doctrinæ rationem: sive enim elegantiam literarum spectemus, ea in ipso summa est: sive jurisprudentia, ea etiam in Cæsarum aulis habet summum autoritatis gradum.

Neque tamen perpetua fuit hæc *Sturmij* in *Giphanium* (quemadmodum nec in *Hottomannum*) propensio; Cùm enim is conquereretur, iniquè lectiones JCtorum ita divisas aut potiùs divulsas fuisse, ut *Tuppius*, *Giphanius* & *Beutherus*, Pandectas partitis operibus explicaret; *VVulfeshemius* (hunc verò etiam in Catalogo Professorum Juris fuisse hinc liquet) *VVulfeshemius*, dico, tres Institutionum libros interpretaretur, iterumque *Tuppius* quartum Institutionum: *Giphanius* iniquè ferens, Philosophum omne sibi, ut in reliquas ferè disciplinas, ita in JCtorum quoque Scholas arbitrium & potestatem sumere, haud obscurè professus est: se in Scholastico ordine Collegas agnoscere, Dominum neminem. Ad quod verbum Dictator iste adeò excânduit, ut se adversus *Giphanium* Poëtæ illud præceptum executurum minatus sit, & rescripserit:

Vt tu fortunam, sic te nos Flacce, feremus.

A quo fato, aut privatorum potiùs libidine cùm *Giphanius* pendere nollet, facilè alias conditiones non solùm Academias *Altorfij* (*anno* 1584.) & *Ingolstadij*; sed & aulicas maximè luculentas invenit, in Amplissimum Consiliariorum Augustalium consortium cooptatus.

Porro de Collega ejus, quem jam nominavi, *Michaele Beuthero*, & quem postea, h.e. *anno* 1575. accepit, (in locum *VVulfeshemij*) *Georgio Obrechto*, tractare supersedeo; quòd nominâsse illos sufficiat, quorum non scripta solùm immortalia; sed & monumenta sepulturæ & familiæ propagines efficiunt, ut uterque inter nos etiamnum appareat.

Sanè de *Nicolao Reusnero*, Wittebergensi, nisi inceptum istud aliò me vocaret, dicenda essent pluscula, quia scil. nec ex locis istis oriundus fuit, nec in illis oppetijt; sed postquam, *Giphanio* Altorfium concedente, Institutionum Juris ἐξήγησιν & interpretationem, *anno* 1583. (*XII. Kl. Novembr.*) cæptam, per sexennium sustinuisset, fatum plurimę

partis superiorum subiens, *Anno* 1588. Jenam, ad honores primæ cathedræ & munus Assessoris supremæ Curiæ, vocatus fuit. In quibus functionibus singulis, virum se doctum bonumque, & non pigendum hujus Scholæ quondam Doctorem ostendit: quin plurima ipsius scripta, perpetim victura, illum vel silentibus nobis, minimè silendum efficiunt. Nec omittere possum insigne elogium, quod ipsi Megalander hujus Academiæ, *Iohannes Pappus*, in programmate quodam funebri, agnato ipsius, *Christophoro Reusnero* Curiâ Variscô, *Anno* 1603. scripto, perhibet: *Ipsum scilicet, dum hic esset, non solùm in amorem sui, sed & in admirationem cunctos rapuisse: quæ sanè commendatio utramque facit paginam.*

Cæterùm post hujus discessum famam Collegij Juridici nihilominùs egregiè tutati sunt residui, *Tuppius & Obrechtus*, in locum *Reusneri* adaptatô *Paulô Graseccio*, Argentoratensi, *Anno* 1589. qui cùm magnâ sedulitate inferiori Auditorio per annos bene multos præfuisset, denique Pandectarum Explicationibus incubuit, in quarum enarratione etiam defecit, (15. *Martij*) *Anno* 1604.

Accidit intereà temporis, ut idem, quod antea populares sui invenerant, in hac urbe quæreret à persecutionibus Pontificijs diverticulum, de universis studijs nostris præclarè meritus *Dionysius Godofredus*, obviâ humanitate *Anno* 1591. ad explicationem Pandectarum sive invitatus, sive admissus; ad quam per octennium porrò peractum, denuò (licèt per sesquiennium ad *Heidelbergenses* secessisset) rarô fortunæ beneficiô & eximiæ προθυμίας Procerum nostrorum exemplô, receptus fuit. Neque tamen vel post ἀλλοίωσιν istam perpetuò noster esse potuit, per summam virtutis & eruditionis opinionem potentissimis Regibus & Principibus commendatus, è quibus Palatino Electori operam suam addixit, Scholæ simul & aulæ consulens: donec superioribus annis cataclysmi bellici euripis Palatinatum inundantibus, ad nos extremum delatus, in ædibus Apollinis nostri, h.e. in sinu Musarum exspiravit, *Anno* 1612. 1. *Septembris*.

Matth. Berneggeri.

Brevis etiam atquè concisa ferè fuit, vel potiùs interrupta opera *Philippi Glaseri*, quam Auditorio JCtorum *Anno* 1601. obtulit, institutionum enarrationem cum historiæ professione conjungens. Vix enim per annum geminatæ huic Provinciæ præfuit, quando ad superiora transmigrans,

Lampada

lampada tradidit *Melchiori Iunio*, Melchioris, Eloquent. Professoris celeberrimi, filio, qui *An.* 1602. (19. *April.*) Institutionum interpretationem auspicatus, deinde per successionem decedentium, Pandectarum quoque & Codicis explicationem nactus est, Juris elementis explicandis interim, h.e. *Anno* 1604. præfectô *Iohanne Michaele Beuthero*, qui in munere isto peragendo, nonnulla etiam industriæ suæ monumenta edidit atque reliquit.

Claudit vicenarium isthunc Professorum numerum *Iustus Mejerus*, Noviomagensis, JCtorum ætatis nostræ merito suo vocatus Sulpitius; cujus & *Sigismundi Flachij*, Institutionum Interpretis clarissimi, historiam eleganter executus est is, cujus causa catalogum istum præmisi, *Casparus Bitschius*, cum collega suo ex rationibus, quas dicere occupavi, conjunctim, sed pauló uberiùs commemorandus.

Tametsi enim Virorum istorum tot insignia in bonum publicum extent ἀνδραγαθήματα, & in Jurisprudentiam excultam merita, ut ijs deprædicandis non Orationes; sed volumina: non dies singulæ debeantur; sed hebdomades: Quia tamen fortuna utrique per omnem vitæ decursum tam gemina fuit & consimilis; ut difficiliùs lac lacti, ovumque ovo, quod in Proverbio dicimus, discernatur: mores porrò & studio deprehendantur eadem; quinimò animus veluti unus per conjunctissima duó corpora diffusus, cujus alterô quasi thalamo per mortem sublato, alter diutiùs superesse haud potuit: Ideoque non tam ignaviâ aut ingratitudine utrorumque laudationem unô sermone componere malui, quàm Superiorum voluntatem venerari; Nonnullis existimantibus, tædium auditorij sic devitari posse; ne bis eadem apponere, aut ut JCtus loquitur, κατὰ τὸ αὐτὸ in re, propter recentem defunctorum memoriam plerisq; omnibus nota, actuosè operam lusisse videamur.

Nec à me expectari aut exigi puto, ut horum natales, incunabula, pueritiam, juventutem, nuptias, progeniem, varias jactationes, & reliqua sive externa, sive ab instituto aliena, per tenuissima rerum temporumque momenta operosè deducam; cùm hæc talia intra vertentem annum & programmatibus exquisitis comprehensa, & funebribus concionibus universo populo satis solicitè & eleganter exposita sint; huic autem loco minùs fortè conveniant: siquidẽ in hominibus contemplandis non aliena æstumanda; sed

sed ipsa anima, ejusdemque egregiæ operationes sunt inspiciendæ.

Ut enim, inquit ille, in equis emendis non phaleras spectamus præcipuè, aut baltheorum polimina; sed corpus ejus nudum, ut sit ad speciem honestum, ad cursum velox, & ad vecturam validum: Sic itidem in hominibus aliena desideranda non sunt. Aliena autem intelligit, quæ parentes dederunt, & quæ fortuna largita est. Nam qui nobili genere ortus dicitur, ejus potiùs primi parentes, quàm ipse, laudantur: qui dives, à re valdè caduca & fortuita; sed qui bonis artibus edoctus, & quantum liberali sufficit, sapiens, suis bonis jure laudabitur.

Quanquam *Bitschium* nostrum adeò ortûs sui, & quòd *anno* 1579. *die* 5. *Aprilis*, *Hagenoæ*, patre *Michaele*, Sutore, matre *Magdalena*, *Iohannis VVuchereri*, figuli, filiâ, editus fuisset, non piguit, ut in Commentatione *de vita sua*, quam vivus delineaverat, argumenta divinæ laudis hinc petierit, quòd è re tenui ad tam honestam functionem à DEO Opt. Max. evectus esset; *Iphicratis* exemplo gavisus; qui patre Sutore natus, summus Orator ac denique Imperator Græcorum factus est; Itemque (quod ad professionem nostram propiùs accedit) *Alphani Vari*, Cremonensis, qui non solùm sutoris filius fuit; sed & ipse sutrinam aliquantiper Romę exercuit, donec meliore genio incitatus, & fortè à magistro suo malè habitus (nam id familiare fuisse sutoribus, docet *l.* 13. §.4. *ff. locati, itemq; ad lib.* 5. *ff. ad L. Aquil.*) ad juris studium sese contulit, Doctore usus magno illo Antecessore Sororio, *Sulpitio*, cujus institutione suaque industria tantùm profecit, ut non modò præ cæteris *Sulpitij* Auditoribus plurimum autoritatis in Jurisprudentia consecutus sit; sed etiam ad Consulatum pervenerit, ac mortuus publico funere efferri (raro tùm & eximio honore) meruerit; qua de re post veteres *Aimarus Rinallius*, *Iacobus Labittus*, *Bernhardus Rutilius*, *Mattheus VVesenbecius*, *Iohannes Fichardus* (*in vitis ICtorum*) *Georgius Eberlinus* (*ad l.* 2. *ff. de Orig. Iur. cap.* 40. *n.* 18.) & alij uberiùs commentantur.

Imitatus etiam hac annotatione & hypomnemate beatus noster videtur exemplum *Agathoclis*, qui cùm figuli esset filius, generis humilitatem non modò non dissimulavit; verùm etiam eo veluti firmissimo argumento usus est, inflammandis & instigandis suorum animis ad capessendum virtutis iter. Unde vasis aureis frequenter figulina solebat admiscere,

ſcere, ut oſtenderet, ſordidiſſimæ conditionis hominibus per virtutem ad honores aditum patere. Denique, ut *M. Cato*, cum urbano convicio novus homo appellaretur; (quomodò ſolebant, qui obſcuro genere orti, ſuis virtutibus inclareſcebant) novum ſe, quantum ad Magiſtratus & claritatem attinet; ſed factis virtutibusque ferebat eſſe pervetuſtum. Ita noſter etiam ſuis de factis clarum nobilemque præſtitit, & jactare illud *Iulij Cæſaris Scaligeri* ex parte potuit, qui de ſe dicturus, ita orditur:

Brenni progenies, & ſi non illius eſſem,
Ille meó poterat deduci ſanguine.

Ita *Vrbanus*, IV. Papa hujus nominis, patre ſutore veteramentario, (vid. *Cluv. epit. hiſtor. ſub Richard. p. 577.*) quemadmodum etiam *Iohannes XXII.* (vide *eund. p. 606. Bzovium in Anno* 1316.) & *Benedictus XII.* (antea *Iacobus de Furno* dictus) piſtore Tholoſano genitus fuit. (*ap. eund. Cluv. in Ludovico Bavaro p.* 607)

Præſtat ea commemoratio tenuioris fortunæ hominibus conſolationem maximam, cernentibus, natalium obſcuritate nemini præcluſam eſſe enitendi vel emergendi viam; ſed imò calcaria tantùm & à provido rerum diſpenſatore incitamenta addi, quò divinâ adſpirante gratiâ per anguſta & vadoſa, ad auguſta eluctentur: Quomodò è noſtris præter *Varum* etiam *C. Trebatius Teſta*, *Aulus Ofilius*, *Cajus*, (qui tam ignobilis genere; at gloriâ eruditionis viciſſim ita eximius & præſtans fuit, ut ſolo prænomine innotuerit.) *Flavius Priſcus*, *Maſurius Sabinus*, *Vlpianus*, aliique ex humili & contemtibili domo prognati, propter virtutem & doctrinam Nobiliſſimis adnumerati ſunt. De *VVilligis*, Archi-Epiſcopi Moguntini, modeſtia, Rota in inſignibus Moguntiæ etiamnum teſtatur.

Unde παράδοξον illud *Senecæ* minùs apparebit inopinatum, cùm inquit: Si vis vacare animo, aut pauper ſis, aut pauperi ſimilis: multis enim ad philoſophandum obſtitere divitiæ: paupertas expedita eſt, & ſecura. *Epiſt.* 17.

Sed & ij, qui honoratioribus editi ſunt parentibus, diſcere hinc debent, Virtutem & eruditionem, ac bona ex his propullulantia, non cum ſanguine per traducem, transferri & propagari; ſed DEI munere his obvenire, qui laudabilia majorum calcantes veſtigia, per ardua ad alta enituntur; quomodo iterum è JureConſultorum noſtrorum cenſu decus à Majoribus partum, virtute ſuâ atque induſtria familiæ veluti

veluti proprium & hereditarium effecerunt *Scævolæ*, *Aquilij*, *Tuberones*, *Sulpitij*, *Cæcilij*, *Nervæ* & complures alij.

Cæterùm lautioribus paulò incunabulis susceptus est *Locamerus*, Reverendo & Doctissimo Viro Domino *M. Georgio Locamero*, Ecclesiæ Landaviensis quondam Pastore vigilantissimò satus, & Landaviæ *annum* circ. 1588. progenitus: à quo tamen præter honestiorem ortûs conditionem, fortunam haud luculentam magis aut opimam est consequutus.

Etenim ut *Bitschius*, simulatq; prima linguarum nec non Dialectices & Rhetorices fundamenta in Schola patria jecerat, & jam uberiore cultu indigebat, Argentoratum 30. *Iunij Anno* 1594. *tenui cum peculio* (h.e. ut nostri interpretantur, *cum pusilla pecunia*. *l*. 5. §. 3. *ff. de pecul*. *l*. 16. *ff. ad SCtum Trebell*.) dimissus, & alijs inserviendo, pverosque instituendo, vitæ parcè ac tenuiter sustentandæ subsidia quærere fuit coactus; à secunda classe hujus Gymnasij curriculum studiorum suorum redauspicatus: Ita quoque *Locamerus* paucos in patrijs penatibus annos confecit, paulò pòst tenerâ adhuc ætate ad Gymnasium nostrum *exili* itidem *cum viaticulo* (ut JCtus iterum ὑποκοριστικῶς appellat in *l*. 18. §. 1. *ff. de judic*.) ablegatus, ut ibidem uberiore doctrinâ mentem avidam imbueret, in quartam classem ab Ephoris admissus. Cætera non paternis opibus, sed suis studijs atque servitijs victitans, & panem quæsitans quotidianum. Commendantur admirationi posteritatis Philosophorum aliqui, quòd inter durissimos labores ad summam eruditionem profecerint. Ita enim *Cleanthem* Philosophum per jocum φρεάντλην dictum memorat *Laërtius*, quòd noctu è puteo aquam hauriendo victum diurnum quæreret, quò tempore sapientiæ studijs operabatur. Gemina de *Dione Prusæo* refert *Philostrat*. *lib*. 1. *de vit. Sophist*: *p*. 492. de *Saturione & Adito*, *Gellius*. 3 *N. A*. 3. *Socratis* & ipsius sapientiæ Mystagogi, *Homeri*, exempla plus quàm nota sunt: quibus sanè nec nostra secula deficiuntur; magnò utique opprobriò & improperiò eorum, qui à facultatibus satis instructi, segniùs proficiunt, & per corporeas delicias animum corrumpentes, molliorem eum efficiunt atque debiliorem, quàm ut solidas doctrinæ dapes possit concoquere.

lib. 7. *in vit. Cleanthis* *Suidas eod. in argum*.

Cursum autem Classicum uterque Doctorum nostrorum confecit feliciter, &, quæ solertiæ vis est, celeriter: Minimè autem, quod plerique hodiè faciunt, πρόωρως & pro-

properè. Solent enim nonnulli adoleſcentulorum, ſimulatque rudimenta artium & linguarum labris deguſtârunt primoribus, jam ſe totos doctrinâ repletos atque ebrios ſomniare, & niſi illicò à Gymnaſij ſubſellijs in liberiorem Academiæ aërem dimittantur, fore clamant, ut aut rumpantur præ ſolidæ illius eruditionis ingluvie, aut quantum intus eſt in parturiente alvo; ridiculorum murium copiâ ſubſellia iſta onerent: accedentibus ad hydropicum iſtum tumorem proximis inſaniæ indicijs, quando contra jurata Præceptorum judicia, ſe nihiloſeciùs opinione atque adeò religione ipſorum doctiores pronuntiant, & viris eruditis ineptiſſimi homunciones ſuam φιλαυτίαν contendunt approbare.

Nihil horum vitiorum noſtros faſcinavit, *Bitſchium* aut *Locamerum*; ſed uterque juſſum inſpectoris, ad altiora ſubſellia dignus promoventis, non tam deſideravit, quàm modeſtè expectavit: Et *Bitſchius* quidem *anno ætatis* 18. *anno* 1596. *Locamerus* 20. demum Claſſicus valedixit, *anno* 1608. tametſi uterque præcellente pollerent ingeniò, & noctes diebus continuatas bonarum artium amori impenderent. Admiſſionem porro ad publicas auſcultationes, bonis avibus indultam, nequaquam remiſſionem à ſtudijs aut licentiam interpretati ſunt; qui alter error pleroſque noſtratium dementat; ſed eò fortiùs & alacriore ſpiritu ſtadium ſuum ſibi decurrendum eſſe, veluti apertis catedromi repagulis, cenſuere. Unde factum eſt, ut uterque non integro biennio elapſo, primam & ſecundam in Philoſophia lauream, & hanc non gratiæ; ſed ut noſtri loquuntur, juſtitiæ: neque inter poſtremos; ſed uterque primum locum: ille inter 20. hic inter 19. competitores, occupans, lætô omine acceperint.

Nec in reſiduo ſtudiorum decurſu diſpar fortuna ſuppares conatus mactavit; Etenim ut *Bitſchius* præparatô per humaniores artes ingeniô, applaudente Themide, in atria ejus pedem promovit & penetravit: Ita *Locamerus* toto ſe animo huic familiæ addixit. Uterque feliciſſimis natus temporibus, quibus cathedra JCtorum longè clariſſimis Doctoribus coruſcabat: *Georgiô*, inquam, *Obrechtô*, & *Dionyſiô Godofredô*, quos *Bitſchius* inprimis audivit, ac deinde etiam *Iuſtô Mejerô*, quem ille initio ſtudiorum ſocium, pòſt & Magiſtrum: *Locamerus*, ut ætate inferior, Præceptorem tantùm, ac denique uterque Collegam habuit. Quem quanti ſinguli

fecerint

fecerint, vel ex eo constat, quòd dogmata ejusdem mordicus tenuerint, *Bitschius* illum suum nominârit Sulpitium; *Locamerus* explicatiùs Præceptorem & Patronum. Erat, autem fato conciliante, mutua *Mejeri* adversus istos propensio, jam à multis annis in animo sapientissimi Viri radicata: ut colligere licet ex schedio quodam, à *Mejero* ad *Locamerum* perscripto, eo tempore, quo *Locamerus* libri Pandectarum quinti elaborationem in Collegio, quod gratæ in nutricem Urbem memoriæ causa *Mejerus* Argentoratense nuncupavit, suscepisset, h.e. *Anno* 1615. quod ipsum inter κειμήλια *Locameri* repertum, antequàm obliteretur, huic recitationi interseram, cùm de scopo illius libri & animo autoris nonnihil subindicet; præfatâ priùs veniâ à Censoribus, si qui futuri sint rigidiores, ut me non panegyristen; sed veritatis præconem esse, haud gravatim ex præfatione & occupatione mea meminerint & recordentur. Ita autem scribit *Mejerus*: *Sum jam, Ornatissime Domine Magister, Amice charissime, in perlegendo titulo de judiciis occupatus: quem etiam absolvissem, nisi valetudinis incommoditas mihi impedimento fuisset: Itaq; Dominum Magistrum rogo, ut reliquos etiam titulos, quam primùm poterit, mihi transmittat, ne mora aliqua & nobis hac in parte objici possit. Celare non possum, me ab initio, cùm viderem, pleraq; ex Practicis magis, quàm Iustiniano nostro proferri: ne fortasse quid Iustinianeum præteriretur, metuisse. Verùm dum in legendo pergo, tùm mirificè mihi diligentia Domini Magistri placuit, ut non parùm in mea imbecillitate recreatus inde fuerim: Non dubito, quin reliqua sint similia: semper enim de Dn Magistro mihi præclara omnia promisi, neq; me spes fallit. Vale.* Hæc *Mejerus*. Quæ verba magni illius Viri non solùm testimonium, sed & vaticinium aliquod complectuntur.

Et hactenus quidem utrumque in Gymnasio & Academia nostra spectavimus: nunc peregrinabundos quoque comitabimur, donec Argentinam eos, veluti in alteram & fatalem patriam, reduxerimus: Atque ut à *Bitschio* ordiamur: Postquam ille ad Philosophiæ & Juris studium Gallicæ quoque linguæ cognitionem privatâ ferè industria (quod tamen in illa lingua perquàm est difficile) adjunxisset non contemnendam: dignus habitus est, qui *Anno* 1600. *mense Octobris* ad aulam Solmensem Laubachianam mitteretur, Per-Illustri & Generosiss. Dn. *Henrico VVilhelmo*. Comiti in *Solms*, &c. à studijs & informatione futurus: Hoc autem non multò post in Belgiũ ad rem militarem reverso

ex

ex commendatione Generosissimæ Dominæ Comitissæ, matris viduæ, præfectus fuit Ephorus Nobiliss. Juvenibus, *Hermanno* & *Iohanni Danieli à Cronbergk*, fratribus patruelibus; nec non *Volperto Riedeselio* in Eisenbach/ tùm in Academia Marpurgensi literis operam navantibus: cum quibus, æstate ibi transactâ, sub autumni tempus Argentoratum redijt, ibique itidem per annuum ferè spatium studiis continuatis *anno* 1602. in Galliam abijt, in qua per totum biennium peregrinatus est, perlustratis præcipuis ejusdem regni provincijs, urbibus & Academijs, ut *itinerarium eleganter ab ipso conscriptum* perspicuè docet. Inde autem reductis *anno* 1604. ad patrios lares discipulis, ipse tertiùm hanc in urbem ut *fidissimam studiorum suorum nutriculam*, (verbis ipsius *Bitschij* utor) est reversus, & initio quidem inspectioni Nobilissimorum Adolescentum, *Henrici à Lützelburg*, & *Iohannis Philippi Zugmantels à Brumat* per *triennium*; *quartô* autem *annô* regendæ primæ Gymnasij curiæ adhibitus: hoc verò finito, ad Historicam professionem fuit promotus, eodem, quo supremos in Jure Doctoratus honores *Basileæ* adsumsit, h. e. *anno* 1608. (7. *Iunij*) & sociam lecti, Deo pronubo, pactus est, quam *in adversariis de vita sua* piissimam castissimamque virginem optimus & certissimus ipse morum censor atque arbiter appellat, *Susannam* Greinerin, Clarissimi, Prudentissimique Viri, Dn. *Melchioris Greineri*, Hagenoensium Syndici & Archigrammatéi filiam: cum qua per Dei gratiam atque benedictionem concordissimè vixit semper, & novem liberorum pater factus est.

Ita nimirum provida illa mens, architectatrix æternitatis, eos, qui gradu non præcipitato, nec præcoce impetu, ad honores festinant; sed manum opitulatricem in patientia & spe præstolantur, tempestivè satis producit, & productos plurimis inde honoribus atque commodis auget conorátque.

Ex eò certè tempore ὁ Μακαρίτης noster alternis ferè annis novis functionibus exornatus est: Nimirum visitaturâ (quam vocant) sive inspectione Collegiorum, *anno* 1609. Canonicatu Thomano, *anno* 12. (nam & hæc, ne quid prætermittam ex annotatione domestica Viri optimi, perstringenda sunt) Professione Institutionum, *anno* 1613. Officio Consiliarij apud Illustrissimum Comitem Hanoviensem, *anno* 1614. Rectoratu Academiæ primo, *an.* 1617. functione porrò Thesaurarij Capitulis nec non professione Pandectarum,

Anno 1619. Rectoratu altero, sed ab exaltata hujus Academiæ dignitate omnium primo, *anno* 1621. Professione Codicis & Feudorum, *anno* 1623. fascibus Rectoratûs, tertiâ vice susceptis, *anno* 1629. denique Præpositurâ Capituli Thomani, *anno* 1630. potitus est. Omitto deinceps cætera, ut ambulatoria Decanorum & Promotorum Officia, quæ ille multoties cohonestavit: Quibus singulis quàm decorè, quàm laudabiliter præfuerit, supra vocem meam est; Certè horariæ commendationis capacitatem & fines excedit. Promtum magis est, & conatui nostro propius, ostendere, quemadmodùm eâdem pene semitâ, certè non abludente, cursûs nostri Moderator & Gubernator scientissimus atque supremus, Doctorem alterum, *Locamerum* intelligo, deduxerit.

Hic verò positis in Academia ista fundamentis Jurisprudentiæ solidis, tùm demum de peregrinatione suscipienda consilia & cogitationes inijt, nequaquam ad præposterum morem deficiens nostræ juventutis, quæ in peregrinationibus inconsultis & temerarijs primos ætatis suæ, quæ literarum studijs debebatur, annos, magno cum detrimento suo & serò resipiscentium cordolio consumit.

Ut verò commodiùs sumtus peregrinationis sustinere posset *Locamerus*, DEO prospiciente ac Patronis innitentibus, præfectus fuit & adjunctus eximiorum parentum filiis, *Sigismundo Flachio*, *Melchiori Greinero*, & *Iohanni Reinhardo* Storcken / tum temporis integritatem majorum virtutemque toto vultu spirantibus, posteà exæquantibus, & qua fas est, excessuris; cum quibus non Academias solùm, Wittebergensem, Lipsiensem, Giessensem; sed & Bohemiam totam, Marchiam, Pomeraniam, Daniam, Civitates Hanseaticas, aliasque provincias vidit, perlustravit; nihil interim de diligentia in studijs remittens: quibus ad ἀκμὴν suam perductis, non tantùm meruit, ut *anno* 1618. Juris Doctor in Brabeuterio *Heidelbergensi* renunciaretur; sed paulò post Professoriæ functioni quoque, licet ad praxin in Camera Imperiali animum adplicuisset, DEO tamen huc animos inclinante, destinaretur.

Exinde, id est, post exantlata tot laborum tædia, collata fuere in ipsum & nuptiarum gaudia, & omnes dignitatum, quas quidem in Academia sperare licet, formulæ: Inspectoris Collegiorũ, Decanatus, promotoris, Rectoris & similes: in

in quibus obeundis ita ſegeſſit, ut deſiderium ſui omnibus, imitationis exemplum difficile nobis reliquerit.

At requiret forſan à me non nemo promiſſi memoriam, quòd iſthæc partim tenuia, partim, ut Philoſophi ajunt, communiter accidentia, ſatis utique nota, nimis anxiè perſequar, quæ prudentia Rhetorum ſuſpenſo jubet deſignare aut volitante penicillo: Enim verò qui non Urbi; ſed Auditorio: nec in iſto Senioribus aut Senatui literatorum; ſed ſpei ſuccreſcentium, hæc præcipuè exponi cogitabit, nihil à vulgaris officio narratoris faciendum eſſe mihi cenſebit alienum: Senſit quippe jam ſuo tempore *Symmachus* (*lib. 10. ſ. 25.*) Ornamentis honorum incitari imitationem, & virtutem æmulam ali incremento honoris alieni: atque, ut *Hieronymus* (eâ epiſtolâ, quâ diſputat, cur Theologi in patria ſua minùs exiſtant honorati) inquit: *Vbi honor non eſt, ibi contemtus eſt; ubi contemtus, ibi frequens injuria; ubi injuria, ibi eſt indignatio; ubi indignatio, ibi quies nulla; ubi quies non eſt, ibi mens à propoſito ſæpè deficitur: Vnde tantundem ſtudiis, atq; per hoc perfectioni decedit.* Hæc *Hieronymus.* Quid quòd Philoſophus non dubitavit, in univerſum edicere: *Haud quaquam conſiſtere diu civitatem poſſe, ubi non virtuti maximus honos tribuatur.* (*2. de Republ.*)

Quanquam fateor, cùm honores etiam immerentibus aliquandò contingant, & Doctores noſtri plura meriti ſint, quàm geſſerunt, non usque in hoc argumento ſubſiſtendum: ſed ad id, quod palmarium eſt, actiones nimirum ſecundùm virtutem exercitas, & egregia facinora progrediendum atque potiſſimum reſpiciendum eſſe. Qua in re tamen iterum mihi temperabo, nec indefeſſum virorum iſtorum laborem, in Collegijs publicis & privatis, in diſputationibus & lectionibus, oſtenſum probatumque extollam: In quibus ſanè tam religioſè verſati ſunt, ut piaculum duxiſſent, vel unam horulam Auditoribus ſubtrahere: Id quod citra vanitatem, aut veritatis præjudicium à me dici volumina lectionum (quibus ſingulis diligentiſſimè cauſæ adſcriptæ ſunt, ſi ob negotia publica, vel alia impedimenta legitima, aliquæ ſine linea horæ tranſijſſent) propalam teſtantur. Quanquam quid dico hæc à me tacenda eſſe, in quibus vel maxima Profeſſoris laus conſiſtit atquè vertitur? Laudet in Profeſſoribus ſuis *Burdegalenſibus Auſonius* acumen, memoriam, os facetum, mores hilares, ſcripta & ſcribendi facilitatem, denique, cui hæc omnia comparantur, nominis

 celebri-

celebritatem; mihi post pietatem, quæ in utroque summa fuit, ante ornamenta ista, quæ mirificè in nostratibus eluxerunt, nihil æquè in docto & fideli præceptore laudabitur aut desiderabitur, quàm discipuli amor, & ex amore subnascens laboris assiduitas: Habeant sane laudem suam illi sive φιλότιμοι, sive κοσμόφιλοι, qui non gloriæ suæ velificantes; (id enim ab impietate proximè abest) sed bono publico, eximia procudunt Commentaria, quibus omnium ætatum, omnium gentium classes erudiuntur; neque tamen suis quemque Scholis, suisque Auditoribus minùs commodum arbitrabimur, qui spretis gloriæ popysmis, horum se ingenio attemperat, his scriptis & voce erudiendis omnes suas horas locat, addicit, mancipat, modò quæ difficilia sunt, explanans, modò explanata textilibus denuò tricis difficultatibusque involvens, modò aliorum dubitationes admittens, ut scientiam in animo alumni stabiliat, constituátque certam atque immotam.

Ac citra jactantiam utique ostentare possumus eam, quæ in Scholas nostras introducta est, consuetudinem, quam certè in quibusdam alijs frustra requiras, nec sine calumniæ & obtrectationis periculo introducas: plus quippe aliquando de gloria aut vana eruditionis præsumtione contendimus, quàm ut seriò proficere, aliorumvé profectus juvare desideremus; Unde ventosi illi Legulei, aut ut dici volunt, Juris Consulti, qui omnem eruditionis suæ supellectilem in pugnacitate & contendendi promtitudine reponunt; quorum istæ virtutes quos fructus in aulis & Curijs produxerint, tota nunc Germania experitur.

At huic Scholæ ab optimis istis, quos nunc laudo Doctoribus alia disciplinæ ratio sive tradita, sive conservata est, quâ malint duci Studiosi, quàm ducere, audire, quàm audiri. Id fit in Collegijs (quæ à re sic vocamus) examinatorijs, ubi remotô schemate & verecundiâ, vitia defectusque, fundamenta profectusque, incrementa denique aut vigorem veluti paternâ manu palpamus, tractamus, excolimus. His adminiculis desultoria & inconstans discendi ratio profligatur, avia & anfractus studiorum devitantur, & certâ manuductione juvenes ad solidam eruditionem veluti per semperastra promoti perveniunt. Neque tamen planè mutos requirimus Auditores; sed dubia & in utramque partem à Doctoribus deducta exercitationibus servamus Studiosorum: Ac sine jactantia iterum dicere possumus, plures exercitationes

citationes & disputationes à Viris istis diligentissimis habitas fuisse per trimestria, quàm alibi locorum, penè dixerim per trieterides. Non ignoro, hæc vix in laude, quadantenus in vitio à nonnullis reputari, sola nobis vetustatis instituta pro norma vivendi, & in studijs progrediendi regula objectantibus: quibus tamen ego moderatam *Iulij Cæsaris Scaligeri* sententiam reponere soleo, quam his verbis exprimit: *Equidem ita censeo, optimos illos priscos, tum recentiores, non voluntate solùm; sed quibus etiam possent, officiis bene de nobis meritos fuisse: verùm ita evenit, ut qui sublimioribus studiis occupantur, eos pigeat harum quotidianarum, disputationum: quos verò ingenium temperatius ab altiori contemplatione abduxisset, eos melioribus opibus destitutos, aliquando nimis leviter deprehendimus in eas incubuisse.* Quibus sanè verbis *Scaliger* istorum excessum, illorum verò defectum sive notat, sive castigat: excessum in istis, qui altercationibus Academicis omne temporis punctum tribuunt, nimium altercando facientes, ut veritas amittatur: defectum in illis, *qui ex hypothesibus suis & ἀμεταχινήτοις, quæ sibi suisq; persuasere, principiis, omnem secuturi ævi posteritatem pendere volunt, in censuras præcipites, omniaq; subvertentes, ut doctiores videantur;* quæ non mea, sed *Scaligeri* iterum verba sunt. Nostri certè Doctores inter hæc extrema tam conveniens adhibuere temperamentum, ut neminem unquam discipulorum pœnituerit, ipsorum chiragogiâ usum fuisse.

Neque tamen defuisset præclaris istis Viris vel ingenium, vel rerum copia, quibus Ordinis nostri gloriam valuissent propagare, si major ejus, quàm officij ipsis visa fuisset habenda ratio. O! quantum eruditorum, exclamat *Plinius*, aut, „ modestia ipsorum, aut quies operit & subtrahit famæ: illi, „ qui tacent, hoc amplius præstant, quò maximum opus si- „ lentiô venerentur. „

Quod si verò quis ἀνέκδοτα *Bitschij* viderit & inspexerit, *Commentarium* inquam, primò *in 12. Cæsares Svetonij*, quos ille in historiarum professione constitutus dictavit; tum *in feuda absolutas tractationes*; itemque *in tit. de reb. cred. de jurejur. de in litem jurando: ad SCtm Macedon. ad SCtm Vellej. de rer. commun. divisione: de probationibus: de Codicillis: de clausula Codicillari: de thesauris: de casibus pro amico: de causis Cæsareâ decisione dignis, & aliis*; modestiâ hominis mirabitur, doliturus etiam, tot thesauros orbi literato perire; Ita enim de ijs, si quid est in me judicij, affirmare possum, præteritis diebus

avidâ mente evolutos esse eos Commentarios luce & manibus Doctorum longè dignissimos.

De *Locameri* concinna facilitate & eximia scribendi facultate testimonium præstant non pœnitendum, *nota in Institutiones, Nova Iustinianéa, quæstionum Iuris Centuria aliquot, Enantiophana, feudorum synopsis,* ut alia, quæ in Studiosorum manibus volvuntur, puclicarum recitationum volumina prætercam. Quid de egregio utriusque conatu dicam, mihi quoque inter novissima commendato, producendi ex Antecessorum hujus Academiæ adversarijs notas in universum jus perpetuas, quarum specimen in Institutionibus, ut modò indicatum, dedit *Locamerus*; itemque consiliorum Facultatis, non trivialium certè, centurias aliquot, denique Collegij, quod vocant, Argentoratensis juridici, adornationem talem, quæ succinctam omnium juris capitum explicationem cum indicibus & remissionibus exhiberet, quâ methodo totum Dicæopædiæ systema, ratione hactenus nondum usurpata, facili tamen & perfectissima, explicaretur. Sed hos conatus partim injuria temporum partim defectus sumtuum sufflaminavit, adversa valetudo stitit, mors intercepit. Cum qua antequam subsistam, unicam dissimilitudinem, sive disparitatem, quam in similitudine istorum Virorum observâsse mihi videor, annotabo. Hactenus enim, ut fortunæ, laborum, vitæ, honorumque, denique ut studiorum ipsorum summa fuerit parilitas ac tantùm non unio, indicâsse me arbitror, quæ etiam in virtutibus reliquis ubique eminebat; Unus enim ambobus, h.e. ad summam pietatem compositus de divinis sensus, religiosa scientia & conscientia, nihil fucatum, elatum nihil, aut sordibus avaritiæ inquinatum, constantia rectæ mentis, modestia morum & suavitas, veneratio superiorum, æqualium amor, inferiorum cura & juvandi studium: Singulæ hæc in geminis gemina & consimilia planè, ut vel sub eodem sidere natos, vel ab eadem matre enutritos, vel sub una saltem disciplina adolevisse jurâsses: Tanta etiam per omnem vitæ usuram conjunctio, ut nulla injuria amicitiam ruperit, nulla offensio labefactârit. Tantùm in adminiculis comparandæ eruditionis aliqua apparebat disparitas: Et enim *Locamerus* parum tribuebat librorum multitudini, neque plus locorum, quos appellitant, communium coacervationi; sed unico *Catone Iustiniano*, cui sanè annotationibus quotidianis magnam in margine lucem intulit, vel si interprete opus

omnino

omnino foret, *Cujaciô* & libris ſynopticis contentus. Legendi diſputandique provinciam, neque eam tantùm; ſed & de jure conſulentibus reſpondendi partes ſcitiſſimè explebat, cum ſtomacho aliquando invectus in illos alienarum ſententiarum hamaxagogos ſeu hamaxarios, qui omnia dicta ſcriptaque ſua, ac inprimis conſilia, vermicultatis allegationum papaveribus perpluerent, cùm textu juris, aut analogia & ratione hinc elicita defungi prudentem juris ſacerdotem poſſe, non contenderet ſolùm; ſed &, quotiescunque res poſtulabat, facto ipſo oſtenderet, ita, ut ſæpiſſimè acerrimus ille noſtrarum lucubrationum Cenſor, *Bitſchius*, in parſimonia verborum acumen, in congrua textuum juris allegatione copiam & commoditatem mirantis in modum in *Locamero* deprædicaret.

Id verò hinc exercitatiſſimo Viro placuiſſe & ſediſſe arbitror, quod tritutæ forenſi (cujus tamen non rudis erat, ſed jam olim fortiſſimus athleta extiterat) parciſſimè operam elocans, his memoriæ ſubſidiis haud usque opus haberet, quibus infinitus ille (naturâ novos ſemper parturiente) caſuum numerus definitur: Sæpius etiam affirmantem audivimus, munus Profeſſorium totum requirere hominem, neque bonâ ſe conſcientiâ pluribus operam addicere poſſe clientibus, utcunque alios, ſterilitatem cathedrarum veritos, totum diem ſedendo, itando, curſitandoque, ac veluti curriculo ſeu duplomate uſos Divæ Peniæ occurſum devitaſſe, meminiſſet.

E diverſo *Bitſchius* inſtructiſſima pollebat bibliothecâ, nec conſultationes ſolum ſuas; verùm etiam diſputationes & commentaria numeroſa allegationum phalange inſtruebat, partim commodo aliorum motus, qui per remiſſiones ejusmodi in loca deducerentur hactenus incognita; partim, ut ſuborituris dubitationibus anſam præcideret. Prætereà inſignem collectaneorum theſaurum adparaverat, eundemque quotidianis racemationibus reddebat cumulatiorem: qua in parte minimè vulgarium theſaurariorum errores ſectabatur, qui obvia quævis ac protrita, theorica, practica, didactica, polemica, vera, falſa, uni eidemque inferciunt volumini, lancem ſaturam, aut ſi mavis Hiſpanico vocabulo rem deſignari, *ollam putridam*, repræſentantes, non ſine diſpendio ſtudioſorum, certè cùm tædio eruditorum: A qua labe ne famoſi quidem illi allegationem architecti, *Calderinus*, *Bertachinus*, *Brunorus à Sole*, *Arnoldus*

Reyger, & ipse adeò purpuratus falsissimus autoritatum institor, *Cardinalis Tuscus*, omninò liberari, nedum perpurgari possunt. E diverso *Bitschius* veterum JCtorum instituta sequutus, judicio & electione adhibitâ, rara tantùm & utilia eruebat, eruta singulis singula libris, veluti cellulis commendabat: hinc erant libri theorici, illinc practici; hinc didactici, illinc polemici. Quantum ad textûs sententiam & discrepantes in explicatione opiniones, utebatur *systemate Nævij*, quod doctissimis Autoribus egregiè locupletavit, adeò, ut propter auctorium istud opus Nævianum recudi mereatur; qua de re tamen ipse Autor, Dn. *Nævius*, se desperare nuper mihi perscripsit, maximè cùm *Augustinus Barbosa* simile quiddam in jus utrumque Romæ moliatur. Systematicè verò jus collectum pretiosissimis *Mejeri* digestionibus quotidiè meliùs ordinabat, ineptissimam iterum judicans illorum operam, qui locos juris nostri proprios, de judicijs, inquam, deque contractibus, nuptijs, tutelis, successionibus, delictis, actionibus & similes, locis illis suis communibus tumultuariè inferunt; cùm hi sint loci proprij, h. e. propriam & peculiarem sedem, tùm in corpore juris, tùm in systematica artis comprehensione, jam obtineant, quibus vel acquiescere quis possit, vel si quid novi occurrat, marginibus adscribere, vel diligentiâ denique illorum frui queat, qui singulos pene titulos fusioribus Commentarijs declaraverunt. Locos autem communes illos judicare videbatur, qui vel disciplinis alijs, vel proprijs illis, quæ dixi, juris capitibus essent communes, nec specialem in jure sedem nacti: quorsum etiam Doctorum brocardia, sive αἰτήματα & ἀξιώματα pertinent, quæ cùm maximam πράξεως partem & infinitorum ingenia occuparint, mirandum est, nullum hactenus censorem reperisse, omnibus *Augiæ* istud stabulum potiùs usurpantibus aut ferentibus, quàm ut purgamenta & camerinam movere sustineant. His certè ἀξιομνημονεύτοις *Bertachinum*, *Vigelium*, *VVehnerum*, *Gailium* atque alios, se ipsis majores per frequentiam annotationum *Bitschius* effecit. Jam Polemita iterum in theoretica & practica distinxerat, & certos cuique sectæ libros, inprimis autem *Vigelij methodica* attribuerat, optimis iterum annotationibus omnia fœcundans: Ut mirari adeò subeat, quomodò Vir ille, tot occupationibus distentus, (responsa & propriô & facultatis nomine consulentibus reddita, advocationes clientibus præstitas intelligo) tot prætereà molestijs

lestiis affectus & infortuniis; tot tamen nihil ominus commentationibus sive colligendis, sive concinnandis sufficere potuerit; maximè, si adversa casuum & incommoditates domesticas & inter hæc omnia valetudinem semper aut infirmam aut deficientem cogitemus. Enim verò rectè *Scaliger*; *studiis*, inquit, *haud parum de demenso vitæ defraudamus; distracti enim spiritus membra destituunt inania, atque illorum hac attritio fit instrumentum quasi quoddam accelerata abolitionis*: Vel, ut alibi penitius inquirit: *sublato corporis exercitio iis horis, quas literarum studiis impendimus, intentis animi instrumentis in eam corporis partem, quæ rationis, judicii, inventionisque moderatrix est; avertitur necessario naturæ opus ab alendis membris: frustra enim vis illa, quam Galenus attrahentem vocat, laborare visa est, frustra est ea, quæ retinet: nihil habet immutatrix, quod immutet: expultrix autem id, quod exigendum est, ne cætera quasi in vacuo destituantur, non expellit: quamobrem neque corpus nutrietur, & corrupti humores ex arteriis nequaquam vaporabunt. Ex illo igitur imbecillitas insidebit, ex hoc morbi subrepent, ex utroq; interitus subsequetur: hinc illi pallores, facies exsanguis, oculi cavi, frons contracta, infirmus ingressus ac vacillans: & quæ sequuntur.*

Videor mihi hunc naturæ deficientis processum in utroque Doctorum nostrorum animadvertisse; *in Bitschio* quidem documentis & indiciis planè notabilibus: jam enim à multis retrò annis malè habebat, & tumulo quàm ergasterio Musivo expeditior; piorum precibus & intercessioni, τὴν ὠκυμορίαν & moriendi per momenta necessitatem sufflaminari, referebat acceptum, exsolvi cupiens, si placeret Imperatori; perstitutus etiam in statione, licet misera & gravi, si multorum & inprimis familiæ solatio liceret superesse. Atque hæc *Bitschij*, præclare de studiis Jurisprudentiæ meriti, fatalitas fuit. Cæterum in *Locamero* occultiora, nec nisi peritis cognita morbi lethalis vestigia serpebant, antequam malum uno velut impetu erumperet, & lecto semel affixum nullò quam vitæ manupretio dimitteret exsolutum. Forsan & illud argumentis harmoniæ naturæ, consensui complexionum, & occultis fortunæ symbolis, synthematis & allegorematis annumerandũ est, quod eadem morbi species, h. e. hydropis violentia, eademque dies, h. e. *secunda Decembr. anni præteriti* emortualis fuit *Bitschio, Locamero* autem fatalis: alteri doloris finis, alteri initiũ ad eundem finem: qui *Locamero 26. Ap. hujus anni* contigit.

Neque in excessu ipso (si morbi symptomata demas) quicquam dissimile; illud enim *Bitschius* metuerat anxiè, & calidis à Deo lacrymis deprecatus fuerat, ne aliorum ministerio, quas nollet, partes permittere cogeretur; idque contra istius morbi ingenium, vim & consuetudinem à clementissimo humanarum rerum & cœlestium dispensatori Jesu obtinuit, diuturnitatem morbi hujus desiderii præstatione refocillante. At *Locamerus* quo breviore usus valetudinario, eò durius habitus fuit. Utrique verò eadem Schola, ejusdem gloriæ fuit theatrum: nam & *Bitschius* incredibili constantiâ viribus animi ad extremum usque halitum integris, corpus ipse componens atque reclinans suum, sua voce spiritum Salvatori nostro ex antiqua formula, veluti de manu in manum tradidit, commendavit, commisit, ac eò ipso momento imperterritus excessit, dubitantibus amicis, an seriò res ageretur. *Locamerus* autem sequestratis omnibus in homines clarissimos adfectibus, in solo Jesu defixus, carceri terreno, morborum & molestiarum myriadibus repleto, animam, Deo pensante, subduxit. Ita uterque eadem fortitudine, eadem fiducia excessere, velut lychni, inserviendo conservis suis, consumti; dilectissima Domino suo & in magna luce resuscitanda lumina, inter stellarum orbes & justitiæ soles effulsura.

Exprobrare atque improperare solebant nonulli Philosophorum inertiam moriendi populo, hoc est, Stoicorum Apathiæ minus addictis, *quis*, inquit *Seneca*, *sine querela moritur? quis extremo die dicere audet:*

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.
Quis non recusans, quis non gemens exit?
Proh! quantò levius (canit Poëta)
- - *mortalibus ægra subire,*
Servitia atque hyemes, æstusque fugamq; fretumq;,
Atque famem; quam posse mori.

Nihil verò cordato Christiano levius, nihil exoptatius, quam bene mori; gnaro scilicet, bonam vitam nunquam premi malâ morte, ut *Augustinus* ait, utique certo, quod simulatque terrena domus nostra hujus habitationis dissolvitur, ædificationem à Deo habeamus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Ac in illis quidem beatorum ædibus atque sedibus felices animæ, à sublunarium calamitatum impetigine liberæ, omnibusque fortunæ inviden-

videntis jaculis longè lateque superiores, sanctissima agunt otia: Nos in turbulentis tempestatibus istis volutamur, exitio quam solatio propiores: Illi ineffabilia divinæ sapientiæ audiunt capiuntque miracula: Nos intra ævi errata consistimus, & evaniture scientiæ modum multa contentione discimus ignorare: Illi tot charas offenderunt animas, quas cœli municipes, Angelorum contribules esse experiuntur: Nos charissimis Collegis, fidissimis Doctoribus orbati, palpitamus, & in hac eruditorum hominum raritate, ne dicam solitudine, succollaturos relicta horum Atlantum onera frustra requirimus, frustra circumspicimus; nisi Deus, miserator noster, turbas istas Oecumenicas dissipare, Orbi tranuillitatem, Societatibus alimenta, Scholas sibi, Scholis Doctores, velut ἀπὸ μηχανῆς restituerit: Cujus sanè immensæ bonitati, inter lugentis animi singultus, & intercludentia votorum prolixitatem suspiria, has spes nostras atque desideria devoti commendamus.

DIXI.

Parodia Ausoniana.

Sic ego Vos, quos nulla mihi cognatio junxit,
Sed merita & Themidos communio grata cathedra,
Et studium in libris, & provida cura docendi;
Vt potui, memorare avidis sum viribus ausus:
Fors erit, ut facili quicquam hac mage cantet avenâ
Alter, ab exemplo aut chartis instructior istis:
Intereà hoc nostri testamen amoris habete.

SCRIPTA C. BITSCHII.

Tractatus de clausula Codicillari: *Argent.*

Commentar. de Feudis: *ibid.* Commentar. in consuetudines Feudorum *Argent*, 1673. in 4.

Oratio Parentalis de obitu Justi Meyeri, JCti Argentoratensis: *ibid.* in 4.

Quæstiones Miscellaneæ: *ibid.* in 4.

Promotio Doctoralis juridica: *ibid.* in 4.

Tractatus de rerum communium divisione: *ibid.*

Commentar. ad L. 3. §. 5. ff. de acquirenda & amittenda Possessione: *ibid.*

Decas casuum pro Amico: *ibid*, 1670. in 4.

Tracta-

Tractatio Methodica de Thesauris: *Argent.* 1624. in 4. *Noribergæ* 1674. in 8.

Disputationes publicas atque solennes habuit sequentes: De dominio ejusque jure: De Donatione Constantini: De Emptione: De Emphyteutico jure: De evictione Feudi: De Exceptionibus: De fidejussore surrogato: De Locatione: De Mutuo: De Numeratione: De Verborum obligatione: De Pactis: De Pacis Pactionibus: De usufructu: De Usucapionibus &c.

SCRIPTA G. D. LOCAMERI.

Centuria quæstionum Criminalium: *Argent.* 1623. in 4.

Elogia Institutionum Justinianearum: *ibid.* in 4.

Disputationes novo-justinianeæ: *ibid.* 1624. in 4.

Quæstiones justinianeæ; quæ per totos juris libros in controversiam ferè vocari solent: *ibid.* 1634. in 8. 1658. in 12. Quibus accedunt Quæstiones Feudales: *ibid.* 1659. in 8.

De divisione & qualitate rerum: *ibid.*

Annotationes in Justiniani Institutionum lib. IV. *Rostochii* 1632. *Argent.* 1634. in 12. auctæ *ibid.* 1656. in 12.

Disputationes in illustri Lyceo Argentinensi frequentes habuit, ex quibus huc referimus de Antichresi: De causis actionum: De famosis libellis: De compensationibus: De Contractibus Innominatis: De debiti constitutione & maximè liquidi: De Dominio ejusque jure: De Donationibus: De emptione: De Emphyteutico jure: De furtis & rapinis: De Exceptionibus: De Prorogatione jurisdictionis: De Nuptiis: De Pignoribus & hypothecis: De restitutione in integrum: De successione: De Syndico: De Tutelis: De Transactionibus, & si quas fortè plures suo præsidio munivit.

ADOL-

ADOLFI VORSTII ORATIO FUNEBRIS

Recitata in exequiis Viri incomparabilis,

D. PETRI CUNÆI,

Juris & Politices Professoris primarii,

Ad diem VI. Decemb. cIↄ Iↄ CXXXVIII.

QVEM, mortis à limine revocatum, cœlo huic & Academiæ non ita pridem redonaverat singularis Dei Dominique nostri benignitas, quem reducem ab itinere parum auspicato omnis propè honestiorum ordo hominum, gratulabundus ac veluti ovans exceperat, saluumque mecum in multos volebat annos; eum, mutatis repentè rerum vicibus, & subductum nobis, funere immaturo, dolemus in præsens, &, quod pietatis atque officii erat omnium, ad sepulchrum prosequuti sumus mæsti atratique. Petrum Cunæum, non inficiandum sæculo nomen, virum & virtute, & doctrina, & dignitate amplissimum, amisimus, Auditores, damno vix reparabili. Eripuit tunc terris, non invida Parca, non Fati crudelitas, non casus aliquis fortuitus, verùm arcana supremi Numinis providentia. Quod sicuti vitæ necisque omnium sedet arbiter, ita nec invidere novit, nec crudele esse potest, aut perpeti ut temere fiat quidpiam. Absit quoque cogitatio ista ab humana audacia, ut abdita ejus consilia rimari, causasque inquirere velit anxiè, cur tantum in republica, tantum in Academia lumen, cujus diuturnior usura optanda bonis omnibus erat, eo ipso tempore quo restitutum nobis credebatur, præter spem atque exspectationem omnium fuerit exstinctum. Habent imperii sui arcana principes, ad quæ caligant subditorum plerumq; animi, quæq; venerationem potius tacitam ac tutam, quam curiosam & cum periculo conjunctam postulant indaginem. De universi hujus rectore Deo, cui reges in ipsos imper. est, quis tam stolidus & væcors fuerit, ut non pari opinetur reverentia, imò majori longè, quando-

quandoquidem omnium eſt maximus? Sufficiat piis mentibus, juſta eſſe, recta eſſe quæcunque gerit, & pro efficaciſſima ſit ratione, divina ejusdem voluntas; quæ nullam admittit curioſitatem, nullam vult expoſtulationem importunam. Suſpicari interim, ſuſpicari nobis licet, Auditores, & digna utique homine Chriſtiano ea ſuſpicio eſt, non parvam eximiæ huic cladi anſam præbuiſſe delicta ac vitia noſtra; quibus vel inter prima annumero odium, invidentiam, maledicentiam, nimium ſui æſtimatorem, alterius contemptorem animum, & de re ſæpe nihili ac vana præfractam contentionem. Etenim ex quo judicio aliquo meo in rebus humanis uti poſſe cæpi, ita me comparavi, ut, quoties viros probitate, eruditione, prudentia præ cæteris inſignes, ac Reip. utiles, intempeſtivè è medio ſublatos viderem, toties ferè iratum ſceleribus noſtris Numen crederem, ac pœnæ id loco nobis irrogari. Quidquid tandem ſit, poſtquam ſummi Imperatoris juſſu nos reliquit vir magnus, non perfunctoriè, ſed cum cura, & remota omni lugentium ſcena, quod gravitatem ejus decet, laudandus nobis, faventibus vobis, eſt partim in exemplum præſentis ævi ac futuri, partim ne cum corpore memoriam quoque illius, aut cum amico amicitiam extuliſſe dicamur. Noluit ille quidem infirmus, & ſub extremum vitæ tempus, quo perſonam nobis detrahimus, defuncto ſibi hunc haberi honorem; quod animi eſt æterna jam cogitantis, & deſpicientis humana omnia. Cæterum aliter faciendum cenſuit ampliſſ. Acad. Senatus, & me, quanquam ad dicendum reliquis inferiorem, provinciam hanc duram uti ſuſciperem, ſuo impulit rogatu. Amicus ſcilicet fueram tot annis, tanta animorum conjunctione, præſtiterat vivus idem officii genus optimo parenti olim meo, denique nemini quam mihi malius cognite atque explorata eſſe poterat vita ejus privata & indoles, ob diutinam intimamque familiaritatem. Quæ cum inficias ire non poſſem, & illi, ad quos è clariſſimo Profeſſorum ordine hoc ipſum pertinebat, juſtas obtendere viderentur excuſationes; ego, qui vivo nihil negare potui, ſupremam hanc mortuo gratitudinem denegare, quo potuiſſem colore, qua fronte? Utinam verò pio affectui meo in tantum faveret Deus, ut vel digna tanto viro noſtra exiſteret oratio, vel, ſi infra ejus ſit merita, quod potius futurum reor, nihil tamen, culpa mea, de ejus decederet magnitudine. Natales Cunæi noſtri, ut

inde

inde exordiar unde oportet, Flissinga, Zelandorum oppidum haud obscurum & mari proximum, sibi vindicat, cujus cives, inter belli hujus Belgici initia, Ducis Albani, & qui sub eo militabant Hispanorum, crudelitatem ac tyrannidem tam forti animo reppulerunt, ut libertatis, qua hodie fruimur, Deo res ita moderante, non exigua jecerint fundamenta. Rudis hic ac ferox populus, tum maris terror, prima ejus viri vidit incunabula, qui ad omnem humanitatem & politiem natus erat. Vetera ut taceam, Batavia hæc nostra, oppidis duobus, à Musis itidem alienis, ac simili penè situ & genio, Hornæ Adrianum Junium, magnum Erasmum Roterodami in lucem produxit. Exemplo illustri, quovis loco ingenia nasci præclara, & in omnem victura æternitatem. Patre genitus est mercatore, viro spectabili atque integræ existimationis. Hic educatum Middelburgi, quæ gentis Mattiacorum clarissima est civitas, ac puerum jam duodecennem, non frequentiæ scholarum, aut publicis eum tradidit præceptoribus, verùm domesticæ institutioni sanctissimi doctique senis, Hugonis Favolii; cujus opera Latinam linguam discere cœpit primitus. Perceptis hujusce rudimentis, in Bataviam ablegatus est, ac curæ iterum privatæ Joannis Mathisii, Ecclesiastæ Harlemensis non minus eruditi, quàm rerum gnari, commissus. A quo postquam uberiore tinctus esset litterarum cognitione, relicta ejusdem disciplina, Acad. hanc Lugdunensem adiit, anno ætatis decimo & quarto. Cum verò imbecillior adhuc ea ætas esset, quàm quæ sibi permitteretur, aut suapte se regere posset sponte, Ambrosio Regemortero, juveni literatissimo ac cognato suo se adjunxit, consiliaque ad ductum ejus secutus est fideliter. Hausit ex hoc ipso, inter studiorum primordia, Hebrææ Græcæque linguæ scientiam, augurio profectò felici ac minimè fallaci, excellentem aliquando eum in hisce literis fore, sicuti ipse postmodum comprobavit eventus. Tantus autem in eo erat ardor ad frugem aliquam in studiis humanitatis perveniendi, ut, cum anno tertio supra millesimum sexcentesimum in Magnam Britanniam navigasset, unica æstate & Græcæ poësios principem Homerum, & Poëtarum Græciæ plerosque alios, lectione continua ac severa absolverit. Qua diligentia hoc tandem consecutus est, ut, cum vellet, & Græcum scriberet epigramma, quod elegantia ac dictionis puritate veteres, quos inter primas

Calli-

Callimacho tribuunt; imitaretur, & de virtutibus ac vitiis Græcorum poëmatum judicaret, etiam juvenis admodum, dexterrimè, quo nomine innotuit, ac charus olim fuit, Isaaco Casaubono, magno illi literarum, & Græcanicæ eruditionis lumini, postquam doctas Animadversiones suas in Nonni Dionysiaca muneri illi misisset, exstat inter viri incomparabilis epistolas, nuper vulgatas, una Cunæo inscripta, quæ hoc luculenter testatur. E Britannia Lugduno redditus suo, relictoque apud Londinenses studiorum inspectore ductoreque Regemortero, qui sacro Belgicæ Ecclesiæ ministerio, ab eo tempore in hunc usque diem, magna probitatis ac doctrinæ cum laude, istic præfuit, varius esse cæpit ac desultorius, animumque per graviores disciplinas omnes circumferre; nullibi ferè se sistens nisi in litteris humanioribus. Ad quæ studia acriores ei faces addebat Petrus Regemorterus, Avunculus; vir dignitate Equestri insignis, &, propter eruditionem multiplicem, rerumque usum ac Politices scientiam, principibus, maximisque in republ. hominibus perquam gratus. Excitabant præterea eum, quod generosi celsique animi est proprium, magna illa in litteris nomina, Josephus Scaliger, Bonaventura Vulcanius, Daniel Heinsius, Scaligeranæ eruditionis gloriæque genuinus hodie successor ac hæres, alijque, penes quos literarum principatus ea tempestate erat. Horum uti consuetudine, per hos proficere, & utile, & honorificum sibi putabat. Contigit illi, rara quadam felicitate, eadem vivere mensa cum Bonaventura Vulcanio per integrum triennium; postquam jam ante, spatio haud breviore, hospitio usus fuisset eodem, quod præstantissimi duo viri inhabitabant, C. Clusius, & Sylvester à Campen, quorum ille inter honorarios Acad. hujus Professores, ob nominis claritudinem, ac rei herbariæ eximiam scientiam, fuit: alter verò, Amplissimis in Republ. perfunctus honoribus, utpote Goesanæ primùm civitatis Syndicus, ac deinde inter Consiliarios Fœderatorum Ordinum delegatus, amore otij litterati ac vitæ privatæ, publicis se muneribus abdicaverat, ut inter eruditos Lugduni lateret; ipse eruditione & prudentia tam insignis, uti singula pene dicta ejus velut totidem haberentur oracula. Talibus ille, tantisque Viris ac Magistris, salutari consilio, reverentia singulari, formandum se permisit; tales sibi proposuit imitandos,

quorum

quorum opera & imitatione tum doctior; tum melior fieret prudentiorque, raro sæculi hujus exemplo, quo adolescentes statim sapiunt, sciunt omnia; neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt. Sed non ita noster, cujus hæc præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur; hæc præcipua eruditio, quod discere vellet. Eadem discendi proficiendique cupiditas Franequeram Frisiorum eum pellexit, uti opera consilioque Clarissimi Joannis Drusij in ipsa Hebraismi adyta penetraret. Hoc præceptore Chaldaica, ac Syriaca, & Rabbinorum commentarios adortus est. Ad quam rem, paucis usitatam, Josephus Scaliger, Socrates ille sui temporis, & ingeniorum optimorum altor educatorque sagacissimus, mirificè eum inflammabat per litteras. Enimverò Syriasmum & Hebræorum magistros intelligere, non cujuslibet est, aut vulgaris industriæ. Quàm in hisce subactus olim fuerit ac solidus, citra ostentationem, amicus meus & collega desideratissimus, eruditi ejus de Republ. Hebræorum libri, doctiorum calculo jamdudum approbati, fidem faciunt. Bonam quippe partem eorum commentariorum Rabbi Maimonides Ægyptius, qui solus inter gentis Judaicæ Scriptores Talmudicos non ineptire censetur, ei suggessit, ijs ex libris suis quorum nulla extat interpretatio, quod sine peritia Rabbinismi esse non poterat. Lexici & interpretum ope citare aliquid ex hoc Scriptorum genere, quilibet etiam potest, qui nihil in Hebraicis novit præter literarum formas ac nomina. Alterum illud majoris operæ ac studij est, solidamque ejus linguæ præsupponit intelligentiam. Ad summam, Drusij germanum discipulum in eo agnoverunt harum rerum periti; quem per Epistolas, relicta jam Frisia, penè quotidie de gravissimis quæstionibus consulere non destitit, & sibi addictissimum perpetuò expertus est. Cujus vicissim ille filium, studiorum socium, ita dilexit, ut fratris loco haberet, & exstincti desiderium ferret impatientissimè. Præbuit sese ibidem auditorem sedulum Joannis Lyclamæ, nobilis Jurisconsulti, & Timæi Fabri, qui, in Professione Juris tunc recens, maximam postmodum in docendo autoritatem habuit. Ita cum vitam instituisset suam ac studia, & variæ eruditionis jam famam sibi comparasset inter doctos, anno millesimo sexcentesimo & undecimo ab Amplissimis Academiæ Curatoribus Latinæ primùm linguæ data ei

professio est, ac deinde Politica, qua dum fungitur, Juvenalem, Senecam philosophum, Suetonium Tranquillum, C. Tacitum, aliosque id genus scriptores interpretatus est, magna auditorum frequentia, & summa cum admiratione omnium. Quorum in numero & ipsum me adolescentem tunc fuisse, & memini probè, & gratulor mihi etiamnum. Inter hæc tamen Jurisprudentia semper præ cæteris ei placuit, ac potissima visa est ad ingenii sui explendam magnitudinem & capacitatem, in cujus studio cum eos se existimaret fecisse progressus, ut alios etiam erudire posset, publicum ejus rei testimonium petiit; tituloque Doctoris ornatus est à clarissimo I. C. Cornelio Svvanenburgio, Academici Senatus per id tempus Præside. Exinde, non contentus nuda atque otiosa legum contemplatione, forum quoque adeundum sibi censuit, causasque ibidem agentes ac perorantes viros egregios audire voluit, quo usum Juris perciperet uberiorem Quamobrem impetrata à Curatoribus & Consulibus missione ad annum, Hagam Comitis se contulit, ut in maxima celebritate, & in media reipubl. luce aliquandiu viveret, atque illic formaret Jurisconsultum patriæ Academiæque perutilem. Quæ res adeò illi cessit feliciter, ut non potuerit magis. Excepit enim hic eum ædibus suis honorificè ac benevolè admodum, vir amplissimus, Apollonius Scottus, supremæ Curiæ Juridicæ Senator integerrimus, ac sydus fulgentissimum; omniumque eruditorum fautor æstimatorque eruditissimus. Exacto anno Lugdunum reversus cum esset iterum ad solitos labores, decretum est ab iisdem Acad. Curatoribus ac Urbis Consulibus, anno decimo & quinto supra millesimum sexcentesimum, ut, præter Politica, Jus Civile interpretaretur, ac Digestorum sustineret professionem. Quod munus & statim suscepit magna alacritate, & parem ei se ostendit mox inter principia, omniumque abunde implevit exspectationem. Cælibatus tandem pertæsus, animoque ad honoratum aliquod conjugium per ea tempora adjecto, duxit in uxorem Mariam Zeistiam, virginem lectissimam, & viri consultissimi laudatissimique, Nicolai Zeistij, Leidensium Syndici, filiam: amplissimi verò Joannis Banchemii, Præsidis supremæ Curiæ, & Academiæ Curatoris, neptem ex filia. Cum autem, elapsis aliquot abhinc annis, fatali lege, vitæ pariter & Academiæ exemptus esset Jurisconsultiss. C. Svvanenburgius, ille judicatus est dignis-

dignissimus, qui tanti viri vices subiret in Codicis interpretatione, quam professionem ad extremum vitæ spiritum ita ornavit, ea tutatus est dignitate ac constantia, ut Jurisconsultorum nemini hac ætate cesserit, interpretandi subtilitate ac docta legum enodatione. Quibus rebus effectuum est, ut in magno domi forisque apud omnes esset pretio, & operam ejus privatam efflictim expeterent, quotquot sacro Juris studio se addixerant. Nec hi tantùm, sed summi pariter atque infimi domum illius, de rebus controversis eum consulturi, tanquam oraculum quoddam civitatis frequentabant. Unde querebatur sæpenumero apud me, nimis densis se obrui negotiis, quodque de scribendo ultra aliquid in usum posteritatis, vix cogitare sibi liceret; cum otium & tempus deessent, scripturo ante omnia necessaria. De causis juris & facti, earumque differentiis, materia intricatissima, jamdudum commentarium confecerat, & retractare ac publici ipse juris facere sæpius sibi proposuerat. Lubenter quoque animo in vetera illa & humanitatis jucundissima studia redibat, & Flavium Josephum, rerum Judaicarum scriptorem gravissimum, excutiebat, ea mente, ut commentario illustratum orbi literato aliquando exhiberet. Cujus exspectatio maximos etiam viros, domesticos extraneosque hactenus tenuit suspensos. Quos inter magnum illum heroem ac patronum quondam meum, Dominicum Molinum, augusti Venetorum Senatus decus immortale, fuisse dum viveret, tum ex ore ejus, tum ex litteris mihi satis compertum est. Cujus viri grandia in me merita, ac constans perpetuæ erga me benevolentiæ significatio facit, ut non sine horrore ac lachrymis propemodum de eo cogitare possim, debeam verò plurimum clarissimis eloquentissimisque collegis, Heinsio Boxhornioq;, qui tam illustre caput in omnem dederunt memoriam, ac præclaris ejus manibus, cum P. Scriverio, sene doctissimo, condigne parentarunt. Verum Cunæo nostro evenit, quod plerisque eorum qui posteros semper cogitant, quibus nulla non mors repentina est, utpote quæ semper inchoatum aliquid abrumpat. Habemus præterea, quod ferè exciderat, elegantissimam ejus Satyram, in eruditos ineptientes; in qua tamen, maturiore judicio ac ætate, nonnulla improbavit. Quam grandia dicendi ornamenta ac præsidia in hoc viro fuerint, & vos testes plerosque auritos appello, & constat ex variis, quas publicè edidit, orationibus, qua-

rum uno volumine editionem, cum ijs quas hactenus presſit, filio, juveni ornatiſſimo, ac paternarum virtutum æmulo, quem mæſtum dejectumque præſentem intuemini, paulò ante obitum commendavit. Erat illi dictio tam caſtigata, tam concinna, tam pura ac perſpicua, & minimè affectata, ut aureum illud Latini ſermonis ſæculum, quod ſub Auguſto, & Julij Cæſaris ac Ciceronis temporibus fuit, in eo non deſiderares. Hinc multos per annos, & quamdiu per graviores curas ac functiones licuit, juventuti generoſæ, ex publica autoritate, ad veræ eloquentiæ laudem viam præivit. A quo onere Curat. ac Conſſ. humanitas, jam ultra bienniumeſt, quod eum abſolverit; relicto tamen laboris præteriti eodem illi præmio, ac muneris ejuſdem functione translata in Clariſſimum, & ei rei inprimis idoneum, Marcum Boxhornium. Poſtremis vitæ annis ab Hollandiæ Ordinibus, patribus patriæ, amplo ornatus eſt ſtipendio, quo in maritimis negotijs dubijs ac controverſis, operam ſuam eis commodaret addiceretque perpetuam. Et, niſi fata eum præveniſſent, Hiſtorici munus à Zelandiæ Ordinibus delatum, obiviſſet; ac Jac. Eyndio, Haemſtedij Domino, viro armis, litteris, ac nobilitate claro, in hiſtoria patria pertexenda ſucceſſiſſet. Hujusce enim rei gratia, publicis litteris evocatus, profectionem in Zelandiam, inclinante jam æſtate, ſuſceperat; ubi & morbi, & mortis quoque cauſam contraxiſſe videtur. Cum verò prudentia ſingulari, & ex dignitate, ſæpius ſupremo in Academiæ functus eſſet magiſtratu, ejusque in rebus agendis Curatores Conſulesque perſpexiſſent induſtriam, Conſiliarij Academici titulo, non inani, ſed fructuoſo, decorandum inſuper cenſuerunt. Equidem apparuit, magnis minimisque rebus, quàm cordatus eſſet. Si in Senatu, ſi in foro dicenda eſſet ſententia, ſi ex ſuggeſto laboranti Academiæ ſuccurrendum, ſi ad Ordinum conſeſſum confugiendum, ſi commendandus aliquis eſſet apud eos qui rebus cum imperio præſunt, ſemper ſe catum, ſemper virum oſtendit, & admirationem ſui vel invitis extorſit. Audiviſtis primam Viri præſtantis, audiviſtis adultam maturamque ætatem, audiviſtis ſtudiorum quam inivit rationem, peritiam in litteris, in Jure, &, quæ hæc conſequi ſolent, dignitates, honores, præmia. Vultíſne, antequam ad triſtia illa, & exceſſum ejus me confero, compendio indolem ejus ac mores cognoſcere privatos. Quanquam nec

Appelles

Appelles ego sum, nec Phidias, nec Praxiteles, iconem tamen animi ejus describere paucis conabor. Temperamento erat calido siccoque, & ob id in excandescentiam à natura pronus, quæ illum vel nolentem quandoq; abripiebat, & à tranquillo mentis statu dejiciebat. Quod ipse frequenter apud amicos conquestus est, cum, ut indulgeretur, sibi hac in parte, eos rogaret. Neq; tamen à melancholia planè liber erat, quæ certo pondere permixta sanguini calidiori, acris ingenij & judiciosos viros ac graves, qualis hic fuit, facere solet. Levitatem, inimicissimum quieti vitium, ac futilitatem oderat quam maximè. Cordatos & circumspectos sermones volebat, ubi res id postularet, aliosq; libentius, quàm semetipsum loquentem audire solebat. Jactantiam, immodicas laudes, fucum & inania omnia severitate quadam judicij fastidiebat, homo paucorum & hominum & verborum. Acerrimus vitiorum insectator, quæ res, etsi ad veritatem ac vitæ emendationem spectare videatur, non tamen semper benè cedit apud illos, qui obsequium præferre solent, aut adulationem. Hunc verò ordinem in universa vita sequutus est, ut necessitates voluptatibus, seria jucundis anteponeret, ipse semper serius. Amicitias nec contrahebat facilè cum quoquam, & contractas constantissimè servabat. Quod vel in me patreque meo, verissimo documento apparuit. Parcus erat temporis sui, vigil, laboriosus, otiumque suum, quod alij otiosissimis perdunt occupationibus, non nisi dignis impendebat. Si quis tamen officium amici ab eo exigeret, promptam paratumque inveniebat. Circa cibum potionemq; non modò non indifferens, sed accuratus adeò, ut nimis propè anxium hîc dixisses. Sobriam & siccam habebat animam, qualem prudentissimam esse, veterum quis pronuntiavit. Notæ frugalitatis, ac minimè prodigus, nec tamen sordidus. Quâ re cum familiæ numerosæ, quæ illi divinitus obtigerat, consulatur optimè; rarius tamen eam curam in eruditos cadere animadvertimus. Proinde, nisi aliunde ijs sit prospectum, nihil præter famam eruditionis & paupertatem hæredibus suis relinquunt. Publicæ tranquillitatis securitatisque studiosissimus, religionem, quæ primum humani pectoris est bonum, ita amabat, ut tamen ubique consilia præferret moderata, animumque postularet æquum ab ijs, qui hominibus atque Ecclesijs præsunt Christianis Melanchtonis suavissima lenitas mirum in modum illi allubescebat. Quod & ego non semel ex illo audire me memini, &, pridie

 quam

quàm moreretur, inter alios pios sermones, Abrahamo Heydano, qui ei tunc aderat, Theologo doctissimo, & quem mecum faciebat plurimi, retulit affirmavitque. Gallicis concionibus, linguæ gnarus, frequentius quàm Belgicis intererat; & languidum ac decumbentem hæc etiamnum cura angebat, ut commodus sessioni, auditionique locus ei assignaretur, nova in æde, quâ nuperrimè sacra Christiana Gallicè celebrantur. Tempus est, Auditores, ut manum de tabula hac tollamus, atque in ejus obitu & consolatione, quæ ex virtutum ejus memoria capi potest, desinamus. Redierat sub initium Novemb. ex Zelandia, ubi febrem gravissimam, DEI misericordiâ, ope affinis sui, Medici præstantissimi, ipse & uxor ejus, matrona honestissima, & filiolus, quem unicè deperibat, natu minor, evaserant. Simulatque innotuit ejus reditus, amici certatim omnes ac Collegæ ædes illius adire, gratulari valetudinem, & prospera omnia in futurum vovere. Nec defuit illi favor & humanitas Ampliss. hujus Urbis Consulum; qui, ut quanti eum facerent intelligeret, & jam ante per litteras ei significari jusserant, ne prius quàm plenè convaluisset ex Zelandia discederet, & reversi eodem affectu domum adiere, atque eadem de ratione habenda valetudinis accuratè inculcârunt, quæ sollicitudo adeò illi grata fuit, ut Consulis tunc primarij, Jacobi Brouchovij, Viri Amplissimi, &, qua est virtute, integritate, ac rerum usu, patriæ bono nati, humanitatem eximiam non semel apud me deprædicaverit. Tristis pallor ex morbo priore epidemico adhuc in vultu ejus sedebat, valetudo dubia erat, ut in convalescentibus fieri amat; & tamen valentulus sibi videri volebat, ac, plenus animi, plus se posse, quam vires permittebant; solitaque etiam repetere cogitabat ministeria. Reponere singulis officium suum voluit, & aëri se exposuit non semel minus salubri, per hanc Autumni inconstantiam. Redijt febris malè sepulta, &, velut doloso cineri suppositus ignis, lecto eum denuò affixit; primò in speciem mitis, mox vehementior & continua, ac duplicis tertianæ typum gerens. Quæ post decem, aut duodecim dies, cum levibus per intervalla delirijs, virum omnibus numeris in sua professione absolutum, mihique amicissimum, ad finem mortalitatis perduxit; quicquid contra sedulò ex arte molirentur Collegæ Clarissimi, qui ei faciebant medicinam. Cum morbi sui periculum cognovisset,

turbatu

turbatus uxoris etiam causa, quæ unà ægrotabat, ad exitum se componere cæpit, & rebus suis, quatenus per morbi vim licuit, dispositis, cœlum cogitare ac Servatorem suum JESUM. Quotquot eum accedebant amici, testari illis hanc mentem suam, paratum se esse, nisi DEO aliter visum, ad moriendum, ac pijs singularum precibus apud DEUM sese commendare. Firma fide se credere dixit reverendo DEI ministro, Abrahamo Heydano, cœlum sibi deberi, non quidem ullo suo, sed Christi solius merito. Nôrunt idem Reverendi ac Præstantiss. Collegæ, Joannes Polyander, Antonij duo, Walæus Thysiusque; quos inter alios ut amicos coluit amavitque. Utique magnum quid videtur doctum ac celebrem mori; multo tamen majus est, Christianum mori, & DEO creatori, quod hic fecit, animam suam constanti ac lubente animo reddere. Ita amisimus, aut præmisimus potius, Auditores, Cl. P. Cunæum, litterarum & scientiæ juris grande decus ac columen, sæculi sui Scævolam, Papinianum, Ulpianum, aut si quod nomen honoratius est inter priscos istos Jurisconsultos. Amisimus, dico, illum, annum ætatis agentem quinquagesimum & tertium, florentem rebus omnibus, iisque honoribus & præmiis, quæ in tam insignitam virtutem conferri poterant, luctumque suis acerbum, nobis vero amicis suis desiderium reliquit immensum. Possem hîc prolixè, ex consuetudine, deplorare Academiæ damnum, familiæ orbitatem, amici tanti amissionem; sed malo ut, divinæ acquiescentes ordinationi, solatium potius in posterum ex memoria virtutum ejus, quas recensuimus ex fide, capiamus, & nobis gratulemur, quod eum Virum, in quem DEUS Opt. Max. tam varia & egregia ingenij ac sapientiæ dona congesserat, tam diu nobis indulserit, in hac eruditorum eo in genere paucitate. Gratuletur sibi uxor, jure meritoque mœstissima, de tali marito: gratulentur sibi liberi de tali patre: affines de affine: amici de amico, & silentio tristitiam involvant singuli suam. Porrò, faxit supremum Numen, ut, non vilis aliqua aut è trivio anima, sed dignus illi contingat successor, & Academiam hanc nostram, quam gemina, brevi adeò ex intervallo, affecit calamitate, servet, tueatur, augeat: ac, triste hoc spectaculum lætiore aliquo compenset eventu.

DIXI.

In noctem, qua exstinctus est Vir incomparabilis, PETRUS CUNÆUS.

Nox fuit, & nondum perlustrat Phosphorus orbem,
Nox fuit, & nondum reddidit ille diem.
Nox manet, & stertit Phœbus languetque suumque,
Vt solet, auratum non sinit esse caput.
Nec Iovis Herculeis iterum lascivia natis
Iam vacat; insensos credimus esse Deos'
Cunæo æternam indixit mors invida noctem:
Hac quemvis nobis abstulit illa diem.

M. Z. BOXHORNIUS.

In eandem noctem.

Quem stupuit venerata dies, rapuere tenebræ:
Nam scelus hoc tantum non fuit ausa dies.

Ad Themidem.

Quid Sobolem Themis alma tuam non respicis? æqui
Quid pateris divos tollere ad astra ducem?
Blanda quies cælo; terris nunc omnia fervent
Litibus, imperium est hic stabilire tuum.
Cæsaris interpres quis erit? quis jura docebit?
Quis mihi, quis nobis Tribonianus erit?
Redde decus sæcli, Cunæum, redde diei
Lumen, vel nostrum nox tegat atra caput.

ARN. A SLICHTENHORST.

De Continuis imbribus & ventis, post excessum Viri Incomparabilis, PETRI CUNÆI.

Phœbus abit, rapidique exercent prælia venti,
Et furit effusis turbidus imber aquis;
Si qua fides vati, Cunæi funus acerbum,
Et sobolem tristis plorat Apollo suam,
Ipsa Astræa gemit, clauditque in pectore vulnus,
Ac faciem bibulis nutibus ægra tegit:

Scili-

Scilicet hæ lachrymæ densos mutantur in imbres,
Ventorumque alas excitat hic gemitus.

A. THYSIUS.

EPITAPHIUM.

OCEANUS JURIS, TERRA OCEANTIDE NATUS,
HOC SUA CUNÆUS CONDIDIT OSSA LOCO.
ILLE PALÆSTINÆ PERFUSUS NECTARE LINGVÆ;
HELLADIS, ET LATIO NON SEMEL ORE POTENS.
CUM JAM CUNCTARUM PERCEPTA SCIENTIA LEGUM;
RESTABAT, LEGES DISCERE PARCA TUAS.

P. SCRIVERIUS.

Aliud.

CUJUS AD AFFATUM TOTIES EFFUSA JUVENTUS
INCAUTO DIDICIT NOLLE PERIRE GRADU:
CUJUS, UT EXEMPLO SAPERENT, CONVENTIBUS IPSI
PULTARUNT DOCTIS LIMINA TRITA SENES.
HIC TEGIT ILLUSTREM TUMULUS VIRTUTE CUNÆUM,
NE, SIBI QVEM COELUM VINDICAT, ORBIS AMET.

H. ALERS.

SCRIPTA.

Sardi Venales: *Lugduni Batav.* 1616. in 24.
Animadversionum liber in Nonni Dionysiaca, in quo errores & inscitiam illius autoris persecutus est: *ibid.* & *Hanoviæ* 1610. in 8.
Satyra Menippea incastrata in sui seculi homines plerosque ineptè eruditos: *ibid.* 1612. in 8. & 1632. in 12.
Juliani Imperatoris Cæsares ex Græco versi: *ib.* 1612. in 8.
Libri tres de Republica Hebræorum: *ibid.* 1624. in 12. 1617. in 8. *Amsterod.* 1632. in 24.
Exercitationum Oratoriarum Inauguratio: *ibid.* 1621. in 4.
Orationes varii argumenti: *Lugd. Bat.* 1640. *VVitteb.* 1643. in 8. item *Francof. ad Oderam* & *Lipsiæ* in 8.

PROGRAMMA

In funere

Magnifici Academiæ Witteb. Rectoris, Viri

Amplissimi & Excellentissimi,

DN. JOHANNIS STRAUCHII,

J. U. Doctoris,

Sereniss. Saxoniæ Ducis Electoris Consiliarii, Collegii Juridici Ordinarii & Decretal. Prof. P. longè celeberrimi, Propositum

à

PRO-RECTORE

MARCO BANZERO,

Augustano-Vindel. Medic. Doct. Prof. P. & Facultatis Seniore.

DUm Viri Magnifici, Amplissimi ac Excellentissimi JOHANNIS STRAUCHII, J. U. D. Sereniss. Saxoniæ Ducis Electoris Consiliarii, Collegii Juridici Ordinarii, & Decretal. Pub. Prof. &c. Academiæ hoc tempore Rectoris, promulgandus obitus ex more, & indicendum ejus funus est, usque adeò & insperati luctus magnitudine, & anxio futurorum metu attoniti oppressique sumus, ut vix dispicere, vix comminisci liceat, ecquid oporteat præfari, nec alienum nostro tempore, & satis efficax ad demonstrandum dolorem eum, quo nunc turbati iterum mirificè atque confusi omnes sumus. Magna profecto calamitas est, quæ denuò ingruit Academiæ; multoque adactum altius vulnus, quam ut curari ex facili, aut persanari ita possit, ut nihil infirmitatis amplius atque languoris in corpore reliquo maneat. Enimvero fuit in STRAUCHIO nostro rara atque excellens optimarum artium eruditio;

ditio; Juris civilis peritia incredibilis; tanta virtus præterea; & quidam quasi indomitus recti amor ac justi, ut breviter ac obiter recenseri nec possit sanè, nec debeat. Quare his maximis dotibus privari, tanto acerbius duriusque est, quo difficilius reperiuntur hoc tempore; & necessarium magis ad conservandam aut restituendam publicam rem, iis minime carere. Si in magna aliqua domo asseres quosdam in tabulato contingat solvi, aut frangi tegulas, vel alias istiusmodi partes necessarias quidem, sed ignobiliores tamen, corrumpi ac disperire labe, leve habetur damnum, nec quicquam metuitur, dum reparatio in promtu adest; at vero cum fundamenta incipiunt sidere, cum ipsa laxatur murorum compages, pilæ ac destinæ, quibus innititur moles, sublabuntur, tantò major solicitudo versat omnes, quo plus periculi ac discriminis manifestè impendet, nec tam refectione, quam instauratione ipsâ est opus. Vix annus exiit, quod ex hoc loco Rectoris funus indiximus: & paucos post dies absolvetur, quod eum extulimus, qui cum Prorectoratus munere vitam ipsam finierat. Inde hactenus conciliari nobis veluti visum est fatum quidem, & quasi dolendi lugendique spatium dare, sed paulò post ut percuteret denuò, plagam vehementius repetens, eumque nunc tandem nobis adimeret, qui non tantum Amplissimo JCtorum Ordini hactenus dedisset caput, sed in præsenti adeò etiam ipsius Academiæ fasces administraret. Quid agitet Deus, ac astruat, quid de hac Academia nostra facturus sit tandem, dum, postquam ex mediis bellorum incendiis admirabiliter servavit hactenus, atque à vi & impotentia hostium non sane humanis opibus defendit, tot maximis viris orbat ac privat, in principes partes, & ipsa capita adeò sæviens, caliginosa nocte demersum latet. Sed tamen cum firmi ac solidi aliquid sperari vix queat, cum casus casum excipit, ruina ruinis cumulatur; quid læti ac prosperi nobis ex ista fortuna promittere licet? Quapropter magna omnibus incumbit necessitas deprecandi mature ac avertendi suppliciis, quicquid sinistri ac diri omnis exercet ac versat. Idem & læta & tristia immittit Deus. Et unde invecta ruina ac clades, inde petendum auxilium ac restitutio est. Quæ magna atque ingentia destruit manus, hæc excitat quoque: & qui ex nihilo omnia, ex parvo etiam vasta quamvis atque immania facere potest. Erit misericordiæ erit clementiæ locus denuo; cum justæ indignationi

tioni satisfecerit. Nec castigare tantum ac plectere desi-net; verum solari ac demulcere incipiet, quos pœnitere contumaciæ veteris, & jam transire in meliora intelligat. Id igitur agamus seriò: Nunc autem supremos honores STRAUCHIO nostro prolixè & cumulatè, quam fieri potest, exsolvamus. Is natus in hac clarissima urbe est d XXVI. Junii anno cIↄ Iↄ XXCIIX. patrem sortitus primarium Civem & Institorem, ÆGIDIUM, integerrimum Virum; matrem GERTRUDEM PLATISIAM: quæ honestissima familia eum etiam dedit: qui Sacratissimo Imperatori D. RUDOLPHO AUG. à Secretis Imperialibus esset, ob nobiliores ingenii dotes, magnamque prudentiam ac rerum usum iis partibus præfectus. Atque is quidem Amplissimus ac Nobilissimus Vir, quantum in maternam gentem luminis atque splendoris intulit, tantundem STRAUCHIORUM nomini noster cum fratre, Viro Perquam Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo ÆGIDIO STRAUCHIO SS. Theol. D. Ecclesiæ Dresdensis Antistite & Superattendente, nec non Supremi Electoralis Synedrii, quod Dresdæ est, Consiliario meritissimo conciliavit. Nam cum & altior indoles ad ea ipsum excitaret studia, quæ vulgares plebejæque animæ haud capiunt, ejusque conatibus parentes optimi deessent minimè: posthæc fraternæ virtutis exemplum mirificos ipsi stimulos admoveret subinde, in id enisus fastigii est, quod ultra togatorum aliquis, hujusque fortunæ ac ordinis, ascendere atque eniti vix queat. Primas literas ac artes in Schola Senatoriâ hausit: inde egressus partim ex publicis Prælectionibus, quas strenuè obiit, partim ex magistris privatis atque domesticis Philosophiam didicit: quam sanè haud vulgariter obiterque saltem, quod plures faciunt, delibavit, sed penitus attigit, pleniusque cognovit, quam vulgo necesse videatur, qui foro ac curiæ se paret. Cujus instituti sui tantum abest, ut unquam ipsum pœnituerit, ut potius sibi de eo gratulatus sæpius sit, cum animadverteret, quantum emolumenti ac utilitatis hactenus id attulisset. Qua de causa & honorificè sensit de eo studiorum genere: quique tractarent ac profiterentur, omni favore ac benevolentia prosecutus est. Jurisprudentiæ rudimentis cum induisset animum Pragam se ad Cognatum contulit: ductus haud futili conjectura, in ejus complexu ac domo, qui publica Imperii negotia curaret, ea se discere

posse

posse & observare, quæ ex eruditissimorum scriptorum libris nequicquam peteret: quod in ipso rerum actu usuque posita unicè, non ullibi alias reperienda essent. Ibi itaque cum aliquot annis locuplete supellectile instruxisset animum, huc rediit denuò volente matre, reversusque ad suos libros est, qui velut in curia hactenus inque ipsis negotiis magis, quam schola erat versatus. Quibus se totum immersit quasi, ac ita dedit, ut nullam aliam voluptatem majorem statueret, quam quæ ex Lectione optimorum auctorum & maximarum rerum cognitione frugi & optimè animatis hominibus carpi solet. Tam alienus luxuriæ & rerum illarum, quæ falsa & captiosa dulcedine juventutum alias trahere & invitare plerumque solent: quam eas noxias pestiferasque noverat animis ad magna surgentibus, & qui refertum sapientiæ ingenium, quàm bellè curatam cutem habere expetant, venerique ac gulæ maximè vacent. Quorum mores non tantum execratus semper est, sed sodalitia etiam maximopere vitavit. Ne contagione læderent, & vitia ipsa subirent animum, quæ jam assueta & velut familiaria facta essent. Ad honores ac dignitates aditum ipsi idem annus præbuit, qui funestissimis istis bellis initium dedit. Is Seculi hujus octavus & decimus fuit. Tum enim experimentis legitimis probatus pro Licentia, quam vocant, disputavit publicè summa cum laude: alteroque anno post, Decano Amplissimo ac Excellentissimo Viro ERASMO UNRUHIO J. U. D. & Prof. Publ. ipso Doctoris gradu ornatus solenniter est: & aliquanto post inter Electoralis Curiæ, quæ hic est, Advocatos adscriptus. Quas partes cum annum unum quasi administrasset, ab Electore Serenissimo vocatus Dresdam inter Consiliarios Aulæ reddendique juris assidere cepit: quod anno cIɔ Iɔ CXXII. d. XXIII. Aprilis evenit. Sed X. abhinc ann. cum Amplissi. ac Excellentiss. Vir BARTHOLOMÆUS REUSNERUS, J. U. D. Serenissi. Electoris Consiliarius in Appellationum Curia, nec non Collegii Juridici Ordinarius, Senior, Director Ecclesiastici Consistorii, quod hic est, & Antecessor Primarius &c. obiisset diem, dignus præcipuè visus, noster fuit, qui in partes defuncti succederet, & tot amplissimorum munerum provinciam sustineret deinceps. Surrogatus igitur in ejus locum ineunte an. cIɔ Iɔ CXXX. huc venit, eoque majore laude & gloria has gessit vices:

quo

quo plus non modo excellentis doctrinæ atque experientiæ, sed optime etiam in Academiam animati & studiosi animi attulit secum: atque id semper unice hactenus dedit operam, ut Academia detrimenti aliquid ne caperet, & jura ac privilegia ejus salva ac integra custodirentur. Rectoratu semel, Decanatu Collegii autem sæpius functus est, magna prudentia juxta & fide. Uxorem duxit An. cIↄ Iↄ CXXI. d. XXIX. Maji CATHARINAM, Prudentiss. ac Spectatissimi Viri MICHAELIS BLUMII Senatoris & Camerarii Reip. oppidanæ ac Mercatoris primarii, singularis virtutis atque exempli filiam, qui cum hos annos octodecim summa concordia egit ac vixit, septem liberorum pater, cum nominis suavissimi sanctissimique titulo octo integris post nuptias annis caruisset. Filiam unam cum quinque pueris (sextum enim nondum quinquemestrem extulit) reliquit superstites, optimæ spei, atque de quibus luculenta præsumtio est, non fore indignos, ex quibus nati. Ut fiat scilicet, quod ille in Romana quidem Tragœdia, sed Græci argumenti ait:

Generosa in ortus semina exurgunt suos. Die XX. hujus mensis ex febri maligna laborare cepit. Sic tamen, ut magna spes esset, fore, ut brevi restitueretur, cum multa indicia ad salutem essent: & ipsa naturæ vis non unâ via se liberare morbi conaretur malo. Præcipuè verò ille solutior alvus & fluens nihil non boni videbatur spondere: quod jam egesti humores noxii expeditam ac facilem medicinam promitterent. Non defuit tamen Medicorum solertia prudens, intentaque in omnes casus se ægritudini opposuit auxiliis vigilantissimis: quæ nihilominus tamen & præter opinionem elusa fuerunt & enervata. Ita enim mox quinto & insequentibus diebus invaluit morbus ac insurrexit, ut omne artis præsidium impar esset. Nam quia ante non ita diu, ineunte scilicet Junio mense, sub finem usque gravissimo, neque dissimili morbi genere decubuerat noster, atque ex eo hactenus non convaluerant satis vires, vix aliter fieri potuit, quam ut malignitas morbi vinceret ac superaret. Quare nudius quartus inter Xam. Xlamque, cum sacra concio jam solveretur, inter medias preces, solutus & ipse atque decessit, cum LI. ann. Mens. III. & dies totidem fecisset vivens. Pietati, ut sola est, à qua omnis nostra petenda felicitas: ita præcipuè & non vulgari modo deditus fuit. Cujus studio, nullam aliam curam atque

que

que negotium, quibus quamplurimis ſemper diſtinebatur, præverti eſt paſſus: nec quicquam unquam auſpicatus eſt, quod imponebat muneris ratio, priusquam DEO reddidiſſet ſuum, & poſt ſolennes preces præſcriptum Lectionis Biblicæ penſum abſolviſſet. Multum quidem ad res agendas ſolertia prudentiaque ingenii, judiciique gravitas, induſtriaque ac opportunitas temporis facit; ſed nihil horum ſuccedit rectè, & ipſa res tandem peſſimè expetit, cum non curatum ritè ante & invocatum Numen aſpirat. Cujus ſolius benevolentia ac favor, omni prudentia valentior eſt, & ſolus ſecundiorem rebus eventum præſtat. Hanc regulam vitæ cum obſervaret perpetuò, & nihil ipſo præterea in miſeros inopesque, quos ſemper aut conſilio ſuo aut ope juvabat, mollius atque humanius eſſet, juſtitiæ cæterum aſſertor & vindex acerrimus ſuum cuique jus integrè redderet, & nemini adeò deeſſet facilè, omnes & boni civis & Chriſtiani implevit numeros, qui non in ſentiendo rectè tantum, ſed faciendo etiam poſiti ſunt ac collocati. Quod alterum ad oſtendendam fidem pertinet, alterum ad charitatem demonſtrandam. Utrumque autem alit confirmatque ſpes, atque hæc tria illa ſunt, ex quibus univerſa Chriſtianiſmi ratio conſtat. Quam quo plenius, cum viveret, expreſſit hactenus; eo uberiora præmia nunc aufert. Qui redditus Servatori ac Creatori optimo, liber curarum, liber laborum, dolorumque immunis, qui paſſim urgent & vehementer incumbunt, nunc degit, lætusque lætitiis omnibus inenarrabili gaudiorum voluptate abundat. Non ille amari hoſtis proterviam, non aliorum injurias ac impotentiam metuit, qui hoſte ipſo crudelius ſæviant, atque ſic magis acerbi ac intolerabiles evadunt; inter beatos Genios agit, inter triumphantes fidelium cœtus & ipſe exultat Agno victori epinicium canens. Cujus reliquiæ cum ad H. I. poſtea efferendæ ſint in templum parochiale & inde concione funebri habitâ deportandæ in arcis, ut ibi ſepeliantur more Chriſtiano, Veſtrum eſt, ACADEMICI CIVES, exequiarum officio prolixè decenterque vos fungi, ac allegare Deo caſtas preces, ut avertat clementer hæc triſtiora omnia ſiſtatque imminentes clades, Ne everſis fortunis patriæ, & vaſtitate invecta late agris, bona & ſalutaria ſtudia tandem, tot Clariſſimis viris exſtinctis, & ipſa exſtinguantur: ac pro humanitate literarum barbaries ingens inoleſcat animis, quæ cum virtute

mox

mox pietatem ipsam ac eruditionem deleat atque suffocet. PP. ad d. II. Octob. anno recuperatæ gratiæ cIↃ IↃc XXXIX.

EPITAPHIUM.

HIC. SITUS. EST. JOHANNES. STRAUCHIUS. QUI. NATUS. WITEBERGÆ. D. XXVI. JUNII. AN cIc IↃ XXCIIX. DUCTUSQUE. A. PRIMA. USQUE. ÆTATE. PER. OMNEM. ERUDITARUM. ARTIUM. CULTUM. JURISPRUDENTIÆ. SE. DEDIT. ATQUE. IN. EO. STUDIORUM. GENERE. INDEFESSA. INDUSTRIA. ITA. PROFECIT. NOBILITER. UT. GRADU. ASSUMPTO. AD. SUMMOS. TOGÆ. HONORES. AC. DIGNITATES. ASPIRARIT. VIXIT. ANN. LI. MENS. III. ET. D. TOTIDEM. DICUNDO. JURI. IN. SUPREMA. CURIA. DRESDÆ. CONSILIARIUS. ELECTORALIS. OPERATUS. EST. ANN. VII. IN. APPELLATIONUM. CURIA. ANN. IX. TOTIDEM. QUOQUE. JURA. APUD. NOS. PUBLICE. DOCUIT. ET. FACULTATI. JURIDICÆ. ORDINARIUM. DEDIT. AC. CAPUT. CAUSASQUE. ECCLESIASTICI. FORI. DIJUDICAVIT. DECESSIT. D. XIX. SEPT. ANN. cIↃ IↃc XXXIX. EX. FEBRI. MALIGNA. IN. IPSO. RECTORATU. SECUNDO. QUEM. PROPIUS. FINEM. ADDUXERAT. PIETATIS. CANDORIS. JUSTITIÆ. ATQUE. MODESTIÆ. SINGULARIS. LAUS. ET. ABSOLUTÆ. DOCTRINÆ. GLORIA. QUAM. VIVUS. SIBI. PEPERIT. TAM. DIU. DURABIT. IN. TERRIS. QUAM. DIU. VIRTUTIS. ET. SAPIENTIÆ. NOMEN. NON. EVILESCET. CATHARINA. BLUMIA. SUO. ET. SEX. DE. SEPTEM. SUPERSTITUM. LIBERORUM. NOMINE. MARITO. PATRIQUE. INCOMPARABILI. AC. EA. DE. CAUSA. DESIDERATISSIMO. NON. SINE. INGENTIBUS. LACRIMIS. P. C.

SCRIPTA.

Collegium Juridicum Successionum ab intestato: *VVitteb*. 1621. 1645. in 4.

Disputationum Publicarum de selectis & præcipuis juris materiis Decas prima: *ibid*. 1621. in 4.

De Legitima liber in Academia Wittebergensi, publicè prælectus: *ibid*. 1621. in 4

Ex Disputationibus à D. Strauchio publicè ventilatis quoque sunt de Locatione & Conductione: De Germanorum Principum jure: De Proventione, quam pro gradu Doctorali habuit, & quæ nostrum hactenus conspectum haud subierunt.

MEMO-